

# Jahresbericht

über das

Gymnasium Leopoldinum und die damit  
verbundenen Realklassen

in Detmold.

Schuljahr 1871—1872.

- 1) Dr. H a c h t m a n n: De Theopompi Chii vita et scriptis.
- 2) Schulnachrichten.

---

Detmold, 1872.

Gedruckt in der Meyer'schen Hofbuchdruckerei.

## De Theopompi Chii vita et scriptis.

In eorum rerum graecarum scriptorum numero, quorum opera sortis iniquitate perierunt, ita ut tantummodo e raris ab aliis scriptoribus memoriae proditis fragmentis, qualis genuina eorum forma fuerit, divinari possit, facile primum obtinet locum Theopompus Chius. Quod quum ita sit, haud mirum nobis videtur, quod nonnulli viri doctissimi omnibus locis, quibus sparsim in antiquorum scriptorum libris de eo agitur, diligenter accurateque collectis\*), non modo id operam dederunt, ut, quae et qualia ejus scripta fuerint, investigarent, sed etiam vitam viri illius et ab aequalibus et a posteris saepius summis laudibus elati descripserunt. Quo in numero apprime laudandi sunt Pflugkius, qui dissertatione docte et sagaciter composita\*\*) de Theopompi Chii vita et scriptis exposuit et Eyssonius Wichersius, qui libro satis copioso\*\*\*) non modo eadem de re disputavit, sed etiam fragmentorum collectionem addidit. Nec silentio praeterire licet Carolum Muellerm, qui in prima historicorum graecorum parte et Theopompi fragmenta denuo imprimenda curavit et commentationem de ejus vita scriptisque praemisit\*\*\*\*). Sed quum ea, quae hac de re ab antiquitatis scriptoribus tradita sunt, admodum rara et nonnunquam obscuriora sint, viri illi doctissimi saepenumero inter se dissenserunt, ita ut adhuc multa supersint, de quibus, ut ita dicam, sub iudice lis est. Qua causa commotus, cum nuper illius rerum scriptoris fragmentis legendis operam dedissem, hanc quaestionem retractare institui.

\*) cf. A. Schäfer. *Abriß d. Quellenkunde d. griechischen Geschichte bis auf Polybius*. Leipzig 1867.

\*\*) *De Theopompi Chii vita et scriptis* disseruit Aug. Jul. Edm. Pflugk. Berolini 1827.

\*\*\*) Theopompi Chii fragmenta collegit, disposuit et explicavit ejusdemque de vita et scriptis commentationem praemisit R. H. Eyssonius Wichers. Lugd. Batav. 1829.

\*\*\*\*) C. Muellerm. *Fragmenta historic. graecorum*. Parisiis 1853, p. LXV. sq. Dissertationes a G. Jos. Aschbach (de Theopompo Chio historico. Francof. ad. M. 1823.) et a Frid. Car. Theiss (de Theopompi Chii vita et scriptis Halae 1831.) scriptas inspicere mihi non licuit.

Caput I.

De Theopompi Chii vita.

In vita hujus rerum scriptoris adumbranda tantas in difficultates non incurremus, si libri, quos Hermippus et de Isocrate et de hujus illustrissimi oratoris discipulis composuerat, ad nostram aetatem pervenissent. (cf. Athenaeus XIII. p. 592. D: *Ἑρμιππος δ' ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους* etc. et X. p. 451. E: *Θεοδέκτην δὲ τὸν Φασηλίτην φησὶ Ἑρμιππος ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*. v. VIII. 342. C. neque ignoti fuere hi libri Dionysio Halicarnassensi, qui eorum loco quodam (de Isaeo jud. I.) mentionem facit: οὐδὲ γὰρ ὁ τοῖς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράφας *Ἑρμιππος ἀκριβῆς ἐν τοῖς ἄλλοις γεγόμενος* etc.) Sed non modo illud de Isocratis discipulis, quorum in numero Theopompus fuit, scriptum opus ipsum perit, sed ne unum quidem fragmentum, quod in hujus rerum scriptoris vita enarranda nobis usui esse possit, adhuc restat. Nec melior fortuna commentationi obtigit, quam Menophanes de Theopompo ediderat, auctor a Photio non sine laude commemoratus (Phot. bibl. cod. 176. p. 120. s. Bk.: *Μηνοφάνης δὲ τις τὰ περὶ Θεόπομπου διεξιῶν, ἀρχαῖος δὲ καὶ οὐκ εὐκαταφρόνητος ὁ ἀνὴρ* etc.) idque eo loco, quo ipse vitam Theopompi hisce verbis explicat: *Ἔστι δὲ Θεόπομπος Χῖος μὲν τὸ γένος, υἱὸς Δαμοστράτου\**), *φυγεῖν δὲ λέγεται τῆς πατρίδος ἅμα τῷ πατρὶ, ἐπὶ λακωνισμῷ τοῦ πατρὸς ἀλόντος, ἀνασωθῆναι δὲ τῇ πατρίδι τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ πατρὸς, τὴν δὲ κάθοδον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χῖους καταπραξαμένου ἐτῶν δὲ εἶναι τότε τὸν Θεόπομπον ἔ και μ'. Μετὰ δὲ τὸν Ἀλεξάνδρου θάνατον πανταχόθεν ἐκπεσόντα εἰς Αἴγυπτον ἀφικέσθαι, Πτολεμαῖον δὲ τὸν ταύτης βασιλέα οὐ προσέειπαι τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ καὶ ὡς πολυπράγμονα ἀνελεῖν ἐθελῆσαι, εἰ μὴ τινες τῶν φίλων παραιτησάμενοι διεσώσαντο.*

Alia, quae idem auctor de Theopompi vita adjecit, cum infra recensere in animo habeam, nunc alterum testem, qui paucissimis quidem verbis ejus mentionem facit, afferre liceat Suidam lexicographum (sub v. *Θεόπομπος Χῖος*.) haecce memoriae prodentem: *Θεόπομπος Χῖος, ῥήτωρ, υἱὸς Δαμασιστράτου, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς XCIII. Ὀλυμπιάδος, ὅτε καὶ Ἐφορος Ἰσοκράτους ἀκουστὴς ἅμα Ἐφόρω. ἔγραψεν* etc.

Utrumque scriptorem de tempore, quo ille natus sit, inter se discrepare cum nemo non videat, accuratius hanc rem perscrutemur necesse est. Verba autem, quibus Suidas utitur: *γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς XCIII.*

\*) Legendum esse *Δαμασιστράτου* et Suid. sub v. *Θεόπομπος* et Pausan. III. 10. 3. testantur. cf. Suid. sub v. *Ἐφορος* b.

ὀλυμπιάδος, ὅτε καὶ Ἐφορος quid sibi velint nequaquam perspicuum est, quum et quae sit significatio participii *γεγονώς* initio quidem dubium videatur et verba, quae subsequuntur, quem sensum habeant, non perspiciatur. *Γεγονώς* vel *γενόμενος* cum aliis apud Suidam locis significationem „natus“\*, aliis „florens“\*\*) habeat, difficile esset dijudicatu, quanam ratione illud vocabulum loco laudato interpretandum esset, nisi (sub v. *Ἐφορος Κυμαῖος*.) idem auctor de Ephoro, quem Theopompi aequalem vocat, explicans, sic scriberet: ἦν δὲ ἐπὶ τῆς XCIII. ὀλυμπιάδος. Quem locum licet Marxius\*\*\*) (ad Ephor. p. 18.) converterit: natus est etc., tamen in sententiam C. Muelleri discedere non dubito, qui (fragm. hist. gr. I. p. LVIII.) suo jure contendit: ἦν nihil aliud significare posse nisi: „vixit“ vel „floruit“, et laudat Scaligerum in libro, qui inscribitur *ιστοριῶν συναγωγῆ*, ad olymp. XCIII. adnotantem: *Θεόπομπος ἐγνωρίζετο\*\*\*\*)*. Accedit altera quoque causa, quae illius viri doctissimi sententiam confirmat. Cum enim ex iis, quae exstant in Photii libris, Theopompum Alexandro mortuo patria denuo expulsum et diu multasque per terras vagatum tandem in Aegyptum confugisse comperiamus, vix credibile videtur, eum jam iis temporibus, quibus Athenae a Lacedaemoniis dirutae sunt, virum insignem fuisse. Tum verba a Suida adjecta: *τοῖς χρόνοις κατὰ τὴν ἀναρχίαν Ἀθηναίων* numero olympiadis, quae temporis spatium ab anno 408 usque ad annum 405 a. Chr. n. complectitur, non satis congruunt, cum et a Xenophonte (Hellen. H. c. 3. §. 1: *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιάς, ἦ τὸ στάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλός, Ἐνδίου ἐν Σπάρτῃ ἐφορεύοντος, Πυθόδωρον δ' ἐν Ἀθήναις ἀρχοντος, ὃν Ἀθηναῖοι, ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ ἤρέθη, οὐκ ὀνομάζουσιν, ἀλλ' ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλοῦσιν* etc.) et a Diodoro (lib. XIV. c. 5.) illum tristem reipublicae Atheniensium statum ol. 94. 1. (a. 404. a. Chr. n.) fuisse enarretur. Quam difficultatem si Marxius (ad Ephorum p. 19) summoveere studuit docendo, *ἀναρχίαν*, quae vocatur, jam extremo anno quarto olympiadis XCIII. incepisse, nimiam subtilitatem adhibuisse mihi videtur, ut testimonium Suidae, quem in alios quoque errores incidisse mox intelligemus, defenderet. Neque perspicio, qua causa adductus Wichersius Suidae tantum auctoritatis tribuerit, ut Marxii opinioni assensus libro laudato (p. 3.) scriberet: „habet profecto

\*) cf. ex. gr. Suid. s. v. Ἰσοκράτης Ἰσοκράτης Θεοδώρου αὐλοποιῦ, Ἀθηναῖος, ῥήτωρ, γενόμενος ἐπὶ τῆς LXXXVI. ὀλυμπιάδος i. e. natus ol. LXXXVI.

\*\*) cf. Suid. s. v. Φερεκύδης γέγονε δὲ κατὰ τὸν Ἀνδῶν βασιλείᾳ Ἀλυάτην i. e. floruit Alyatis aetate

\*\*\*) Ephori Cumaei fragmenta collegit atque illustravit Meier Marx. Carolismhae 1815.

\*\*\*\*) J. G. Vossius de hist. gr. IV. 8. aetatem, qua floruit Theopompus, quatuor annis post destinat. Contra Jonsius de script. hist. phil. I. 9. quum rerum scriptor Alexandri Magni tempora attigerit, quae Scaliger ad ol. XCIII. 1. adnotaverit, ad ol. CX. referenda censet. (v. Pflugk. p. 10. sq.)

Marxii ratio, quo se tueatur. Nam etsi *ἀναρχία* proprie illud tempus intelligendum est, quo XXX tyranni imperaverunt, haud male tamen dicitur, eam jam incepisse, postquam Theramenes quarto mense a legatione reversus et Athenae in Lysandri potestatem redactae essent. Equidem in Ephori quoque aetate definienda lexicographum in errore versatum esse persuasum habeo nec, Wichersio excepto, quemquam inveni, qui Marxii sententiam comprobaret. Nec minus mihi displicuit Muellero opinio, qui (fr. h. gr. I. LVIII.) in illis Suidae verbis errorem abditum latere conjicit, cum ab eo tempestates, quibus Atheniensium respublica perturbabatur, cum tumultibus Macedoniam inter Amyntae et Perdiccae III. regnum dilacerantibus (ol. 103.) confusae sint. Quid enim? Estne credibile, Suidam, qui saepissime rebus ex Graecorum Atheniensiumve historia petitis in clarorum auctorum aetatibus circumscribendis utitur\*), de Theopompo rerum graecarum illustrissimo scriptore disserentem rem satis ignotam ex Macedonum historia protulisse? Nec Muellerus hanc sententiam recte sese habere mihi persuasit (F. H. G. IV. 626.) lectione ex Eudociae opere allata, ubi pro *ἐπὶ τῆς XCIII. ὀλυμπιάδος* exhibetur: *ἐπὶ τῆς CIII. ὀλυμπιάδος*, quam errore Eudociae exortamesse potius crediderim. Itaque quum nec de Ephori aetate, quem Alexandri temporibus historiarum libris scribendis operam dedisse a Clemente Alexandrino (stromat. I. p. 403.) comperimus, ad veritatem Suidas dixerit neque omnino verba, quibus utitur, satis perspicua sint, nostro jure contendimus, hujus auctoris testimonium pro nihilo faciendum esse, praesertim quum alter testis, cujus verba jam supra attulimus, multo copiosius et accuratius hac de re disserat. Quae si diligentius perlegerimus, facere non poterimus, quin hunc scriptorem ex multo uberiore, ut ita dicam, fonte hausisse concedamus. Quanti autem ejus auctoritas ducenda sit, inde maxime elucet, quod eum multa ex Theopompi ipsius libris repetiisse verba, quae paulo post apud eundem auctorem scripta inveniuntur, testantur: *συναχμάσαι δὲ λέγει αὐτὸς (sc. Θεόπομπος) ἑαυτὸν Ἰσοκράτει τε τῷ Ἀθηναίῳ* etc. Quae quum ita sint, jam examinemus, num ex Photii enarratione, quo anno Theopompos natus sit, eruere possimus. Ac quum memoriae ille prodiderit, eum post patris mortem, qui, quod cum Lacedaemoniis fecerat, a Chiis erat expulsus, anno vitae quadragesimo quinto, Alexandro Macedonum rege auctore, in patriam rediisse, praecipue perquirendum est, quonam anno rex epistolam scripserit, qua, ut exsul a civibus revocaretur, effecit\*\*.)

\*) cf. Suid. sub ν. *Δαμάσσης Σιγέως*. *γεγονώς πρὸ τῶν Πελοποννησιακῶν* et sub ν. *Ἴππυς Ῥηγίνος* *γεγονώς ἐπὶ τῶν Περσικῶν* et alias.

\*\*) cf. locum ex Photii libris laudatum: *τὴν δὲ καθόδον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δὲ ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου.*

Alexandrum exsulibus revocandis consuluisse ex Diodori loco patet, qui (lib. XVIII. c. 8.) epistolam ad graecos domo profugos missam affert: *Βασιλεὺς Ἀλέξανδρος τοῖς ἐκ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων φηγάσι. Τοῦ μὲν φεύγειν ὑμᾶς οὐχ ἡμεῖς αἴτιοι γεγόναμεν, τοῦ δὲ κατελθεῖν εἰς τὰς ἰδίας πατρίδας ἡμεῖς ἐσόμεθα πλὴν τῶν ἐναγῶν. γεγράφαμεν δὲ περὶ τούτων, ὅπως τὰς μὴ βουλομένας τῶν πόλεων κατάγειν ἀναγκάσῃ.* (cf. lib. XVII. c. 109.) Quae epistola, scripta ol. CXIV, 4. i. e. anno 324. a. Chr. n., si ad Theopompi quoque in patriam reditum referretur, is secundum Photii testimonium natus esset ol. CII, 3. vel 4. (369. vel 370 a. Chr. n.) Cui ratiocinationi Suidae sententia, quam jam refutavimus, excepta vix quidquam repugnaret, nisi alio quodam loco nobis traditum esset, Theopompum in ludis funebribus ab Artemisia, Cariae regina, Mausolo mortuo, institutis oratione, qua regem summis laudibus praedicabat, nonnullos alios competitores superasse. Gellius enim (Noct. att. X. 18. 6.) haec refert: „ad eas laudes decertandas venisse dicuntur viri nobiles ingenio atque lingua praestabili: Theopompus, Theodectes, Naucrates; sunt etiam, qui Isocratem ipsum cum his certavisse memoriae mandaverint. Sed eo certamine vicisse Theopompum judicatum est; is fuit Isocratis discipulus; exstat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur Mausolus.“ Ejusdem rei mentionem facit Porphyrius: (ap. Eusebium praep. ev. X. 3. p. 464. C.) *ὑπερφρονεῖ ὁ Θεόπομπος τὸν Ἰσοκράτην καὶ νενικῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ λέγει κατὰ τὸν ἐπὶ Μανσῶλῳ ἀγῶνα*, et Suidas sub v. *Θεοδέκτης Φασηλίτης οὗτος καὶ ὁ Ἐρυθραῖος Ναυκράτης καὶ Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ ὁ Ἀπολλωνιάδης καὶ Θεόπομπος ἐπὶ τῆς ῥγ' ὀλυμπιάδος εἶπον ἐπιτάφιον ἐπὶ Μανσῶλῳ.* — De anno quidem, quo Mausolus mortuus sit, antiquitatis scriptores inter se dissentiunt, cum Diodorus XVI. c. 36.\*) eum eodem tempore, quo Onomarchum, ol. CVI, 4. i. e. 353 a. Chr. n. obiisse enarret, Plinius (hist. nat. XXXVI. 30 et 47.), eum ol. CVII, 2. i. e. anno 351\*\*), Suidas (S. v. *Θεοδέκτης*.) ol. CIII. i. e. circiter anno 368 vita excessisse commemoret\*\*\*). Suidam in tempore mortis Mausoli definiendo errasse jam ex eo intelligitur, quod rex ille Cariae, teste Diodoro, quocum Demosthenes in orationibus de pace et de Rhodiorum libertate consentit, bello sociali, quod dicitur, cujus auctor fuerat, (cf. Schäfer Demosth. u. s. Zeit. I. 146) ipse intererat: *ἐλόμενοι (sc. οἱ Ἀθηναῖοι) δὲ στρατηγοὺς Χάρητα καὶ Χαβρίαν ἀπέστειλαν μετὰ δυνάμειω. οὗτοι δὲ πλεύσαντες ἐπὶ τὴν Χιον κατέλαβον παραγεγονότας συμμάχους τοῖς Χίοις παρὰ Βυζαντίων καὶ Ροδίων καὶ Κώων, ἔτι*

\*) Μετὰ δὲ τὴν Ὀνομάρχου τελευτὴν διεδέξατο τὴν Φοικίων ἡγεμονίαν ὁ ἀδελφὸς Φαῦλλος... ἐπὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Μανσῶλος ὁ Καρίας δυνάστης ἐτελεύτησεν.

\*\*) hanc lectionem praebet codex Bambergensis. cf. A. Schäfer. Demosthenes und seine Zeit. I. p. 440. Anm. 7.

\*\*\*) locum apud Suidam emendandum censuit Clinton, qui (Fast. Hellen. II. p. 143.) scribit: ῥγ' ὀλυμπιάδος.

δὲ Μαυσώλου τοῦ Καρῶν δυνάστου. Sed ne cum his quidem Diodori et Plinii testimoniis sententiam. Theopompum anno 369 natum esse, conciliari posse, nemo non videt. Quae quum ita sint, Pflugkius (p. 12. sq.) id operam dedit, ut viros illos patria expulsos, quorum in numero erat Theopompus, jam initio Alexandri Magni regni revocatos esse demonstraret. Constat quidem, pugna ad Granicum flumen commissa, multas Asiae civitates ad Alexandrum defecisse, quem libertatis Graecorum tuendae causa Persis bellum intulisse putarent, cujus rei mentionem facit Diodorus (lib. XVII. c. 24.) haecce enarrans: *μάλιστα δ' εὐεργέται τὰς Ἑλληνίδας πόλεις, ποιῶν αὐτὰς αὐτονόμους, ἀφορολογήτους, προσεπιλέγων, ὅτι τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερώσεως ἕνεκα τὸν πρὸς Πέρσας πόλεμον ἐπανήρηται.* (cf. Arrian. Exped. Alex. l. 17. et l. 18. 1 — 3.) Ad quam enarrationem spectans Pflugkius tum foedera non modo a Mytilenaeis et Tenediis, sed etiam a Chiis cum Alexandro facta esse censet, quibus exsules in patriam reducti essent, unde concludit, Theopompum vel a. 334 (ol. CXI. 3.), cum Alexander ad Granicum flumen Persarum copias fugasset, vel a. 332 (ol. CXII. 1.), quo Chiis, a Persis denuo subjecti, iterum a Macedonibus liberabantur, rege auctore in patriam rediisse. Ac quum probabilius esse arbitretur, eum paulo postquam Alexander in Asiam invaserat a civibus receptum esse, eum anno 379 natum esse contendit.

Contra hanc viri doctissimi sententiam, quamquam Photii testimonium summi esse momenti mihi persuasum est, tamen plura habeo, quae proferam. Ac primum quidem inter Alexandrum et Chios talem societatem, qualem vult Pflugkius, junctam esse nullo loco commemoratur, deinde verba, quibus utitur Photius: *τὴν δὲ κάθοδον Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων βασιλέως δι' ἐπιστολῶν τῶν πρὸς τοὺς Χίους καταπραξαμένου,* in illam revocandi rationem quadrare vix videntur. Miror autem, quod omnes, qui de Theopompo egerunt, locum quendam, qui hac in re nobis ansam, ut opinor, praebere potest, prorsus neglexerunt, exstantem in vita Ephori a Suida enarrata, ubi haec scripta inveniuntur: *φυγὰς δὲ γενομένου ὁ Θεόπομπος ἰκέτης ἐγένετο τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος. ἐπίστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ.* Haec autem verba, quae neque ad Ephori vitam pertinent et tenorem enarrationis magnopere perturbant, a lexicographo, alias quoque fontibus suis satis negligenter utente, ex ampliore Theopompi vita hausta et inepto loco allata esse et ita quidem, ut ad quamnam rem respiciant vix intelligatur, equidem crediderim. Muellerus, (F. H. G. I. p. LXVII.) rem obiter tangens, adnotat: „videmus igitur Theopompum ol. CVII. in Asia minori commorantem, quo primum se cum patre convertisse videtur, si quidem Suidas vera habet, qui eum relicta patria Dianae Ephesiae supplicem factum esse tradit.“ Multo autem meliorem sensum locus ille ex mea quidem sententia praebet, si ad reditum Theopompi per Macedonum regem

effectum refertur. Cum ex Arriani libris (l. 17: *τετάρτη δὲ ἡμέρα εἰς Ἐφεσον ἀφικόμενος τοὺς δὲ φυγάδας, ὅσοι δι' αὐτὸν ἐξέπεσον τῆς πόλεως, κατήγαγε καὶ τὴν ὀλιγαρχίαν καταλύσας δημοκρατίαν κατέστησε.*) discamus, Alexandrum exsules in patriam urbem reduxisse ibique complures dies commoratum esse, ut sacra sollemnia faceret Dianae Ephesiae (l. 18: *αὐτὸς δὲ ὑπομείνας ἐν Ἐφέσῳ, θυσίαν τε ἔθυσσε τῇ Ἀρτέμιδι καὶ πομπὴν ἔπεμψε σὺν τῇ στρατιᾷ πάσῃ ὠπλισμένη τε καὶ ὡς ἐς μάχην συντεταγμένη.*) simulque exercitum pararet, quo reliquas urbes graecas, quae tum ditionis Persarum erant, sub suam potestatem redigeret (ejusd. capit. initio: *Ἀντίμαχον δὲ τὸν Ἀγαθοκλέους ἐπὶ τὰς Αἰολίδας τε πόλεις σὺν δυνάμει οὐκ ἐλάττονι ἐξέπεμψε καὶ ὅσαι Ἴωνικαὶ ὑπὸ τοῖς βαρβάροις ἦσαν.*) conjicio, Theopompum, tum occasione opportuna oblata, Macedonum regi Ephesi supplicavisse, a quo, ut in patriam redire sibi liceret, impetraret. Qua conjectura comprobata et locus ille apud Suidam quid sibi velit, perspicitur et verba, quae subsequuntur: *ἐπέστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ. καὶ μέντοι καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον ἐγκωμιάσας πολλὰ λέγεται καὶ ψόγον αὐτοῦ γεγραφεῖναι, ὃς οὐ φέρεται,* quibus de nulla alia re agitur, nisi de consuetudine inter Theopompum et Alexandrum, optime intelliguntur. Itaque quum epistola illa, cujus Photius mentionem facit, ab Alexandro Ephesi versante, ut opinor, anno 334 scriberetur, Theopompum, qui vir quadraginta quinque annorum Chium rediit, a. 379 natum esse, non dissentiens quidem a Pflugkio, sed alio argumento innitens, existimo. Quam meam opinionem debilitare nequit Wichersius, qui, Suidae testimonio plus auctoritatis tribuens quam Photii, eum jam anno 404 natum esse arbitratur\*). Ratione enim habita Photii verborum: *συνακμάσαι δὲ λέγει αὐτὸς εαυτὸν Ἰσοκράτει τε τῷ Ἀθηναίῳ καὶ Θεοδέκτῃ τῷ Φασηλίτῃ καὶ Ναυκράτει τῷ Ἐρυθραίῳ,* censet fieri non potuisse, ut Theopompus, si quidem anno 379 natus esset, Isocratem illo tempore jam aetate provectum aequalem vocaret. Quam sententiam compluribus de causis refellendam judico. Ac primum quidem Theopompus magistrum suum aequalem (*ἡλικιώτην*) omnino non nominat, sed tantum se eodem tempore, quo illum, floruisse (*συνακμάσαι*) dicit. Deinde cum Isocratem demum anno aetatis\*\*) nonagesimo octavo\*\*\*) (cf. A. Schäfer, *Demosthenes und seine Zeit.* III. p. 5. sq.) paucis diebus post proelium ad

\*) Wichersius p. 7: dubito, num accurate quis dixerit, se ejus, quo sexaginta annis junior sit, aequalem esse. (sc. Isocratis.) Perexiguum quoddam tempus Isocrates et Theopompus una vixissent, non tamen simul florissent.

\*\*) Suidas s. v. Ἰσοκράτης hoc quoque loco in errore versatur cum dicat: *βιώσας δ' ἔτι 8 πρὸς τοῖς 9 ἐτελεύτησεν.*

\*\*\*) Dionys. Halic. de Isocr. judic. c. I. extr.



Chaeroneam factum mortuum esse i. e. anno 338 a. Chr. n. notum sit, Theopompum una cum illo clarissimo oratore magnam vitae partem degisse elucet. Denique cum loco laudato tantum id agat Theopompus, ut compluribus praeclaris illius aetatis viris commemoratis pro sua magniloquentia semet ipsum summis laudibus efferat, nobis mirum videri nequit, quod in eo numero Isocratis quoque, cujus gloriae semel ac saepius obtrectare studet, mentionem facit. (cf. Phot. l. a.: *ἀλλ' Ἴσοκράτης μὲν δι' ἀπορίαν βίου καὶ Θεοδέκτην μισθοῦ λόγους γράφειν καὶ σοφιστεύειν* etc. et Porphy. ap. Euseb. praep. ev. X. 3. p. 464: *ἰπερφρονεῖ ὁ Θεόπομπος τὸν Ἴσοκράτην καὶ νευκῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ λέγει κατὰ τὸν ἐπὶ Μανσῶλω ἀγῶνα τὸν διδάσκαλον*.)

Nec magis sententiam meam labefactare potest altera causa, quam vir ille doctissimus affert, dicens: (p. 7.) haud intelligi, quonam jure Theopompus, si natus esset ol. C., Isocratem indigentem vocet, ut exstat apud Photium: *ἀλλ' Ἴσοκράτην μὲν δι' ἀπορίαν βίου λόγους γράφειν καὶ σοφιστεύειν*. Quem locum omnino male percepisse ille mihi videtur, cum inde de vitae tempore auctoris aliquid elici posse judicet. Praeclarissimis enim suae aetatis viris obtrectans sibi que ipsi summam laudem vindicans, causa investigata, qua nitens gloriam magistri, qui tum in omnium ore erat, deminuat, se fortunis abundantem tantum animi delectandi causa philosophiae vacasse dicit\*), Isocratem autem eo consilio, ut divitias inde sibi compararet. Ceterum Theopompum verba illa, cum jam aetate processisset, scripsisse, ex eodem loco manifestum est, quo paucis versibus post, legimus: *καὶ ὡς οὐκ ἂν εἴη αὐτῷ παράλογον ἀντιποιουμένῳ τῶν πρωτείων, οὐκ ἐλατιόνων μὲν ἢ δισμυρίων ἐπῶν τοὺς ἐπιδεικτικοὺς τῶν λόγων συγγραψάμενῳ, πλείους δ' ἢ ἑξήκοντα μυριάδας, ἐν οἷς τὰς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων πράξεις μέχρι νῦν ἀπαγγελλόμενας ἔστι λαβεῖν*.

Restat, ut de tertia causa disseram, qua nisus Wichersius Suidae testimonium confirmare studuit, fieri non potuisse ratus, ut Theopompus, si ol. C. 4., ut vult Pflugkius, expulsus esset, ol. C. 2. natus esset, cum in ipsa patria scholam Isocratis, quam illic orator illustrissimus aperuerat, frequentaret. „Nam constat, inquit, e Pseudo-Plutarcho p. 837 B. et Photio (cod. CCLX. p. 793.) Isocratem relictis Athenis propter belli contra Lacedaemonios strepitus in Chium venisse ibique rhetoricas scholas aperuisse et Theopompum cum aliis ibi discipulum habuisse“. Perscrutemur igitur necesse est, num ex iis testimoniis, quae allata sunt, quonam anno Isocrates Chium migraverit, colligi possit. Quae tota quaestio in loco, qui exstat in Pseudo-Plutarchi de Isocrate libro p. 837,

\*) cf. Phot. l. c.: *αὐτὸν δὲ καὶ Ναυκράτην ἀνταρκῶς ἔχοντας ἐν τούτοις αἰεὶ τὴν διατριβὴν ἐν τῷ φιλοσοφεῖν καὶ φιλομαθεῖν ποιῆσθαι*.

posita est, ubi haec scripta inveniuntur: *διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δ' ἠγεῖτο, ὡς τινὲς φασὶ πρώτον ἐπὶ Χίου, μαθητὰς ἔχων θ'.* Errasse autem mihi videtur Muellerus, qui (F. H. G. I. p. LXVI.) Isocratem maxime ut rem familiarem \*) sub triginta tyrannis, ut videretur, perditam restitueret, in Chio insula scholam aperuisse conjicit. Ac primum quidem Pseudo-Plutarchus disertis verbis exprimat, quam ob causam Isocrates juvenes arte rhetorica imbuere consilium cepit: (vit. Isocr. p. 837 A.) *καὶ τὸν τε πανηγυρικὸν λόγον καὶ τινὰς ἄλλους τῶν συμβουλευτικῶν, οὓς μὲν αὐτὸς γράφων ἀνεγίνωσκεν, οὓς δ' ἑτέροις παρεσκευάζεν, ἠγούμενος οὕτως ἐπὶ τὰ δέοντα φρονεῖν τοὺς Ἕλληνας προτρέψασθαι, διαμαρτάνων δὲ τῆς προαιρέσεως τούτων μὲν ἀπέστη, σχολῆς δ' ἠγεῖτο* etc. Deinde non est, cur in eo offendamus, quod Isocrates, sophistarum exemplum secutus, mercede adolescentem artem, qua ipse inter omnes excellebat, docuit. Sin eo consilio, ut divitias sibi recuperaret, Chii scholam illam aperisset, eum jam paulo post triginta tyrannos Athenis expulsos patriam relicturum fuisse verisimile est, quod idem vir doctissimus negat, cum Theopompum ol. CIV. in Isocratis scholam venisse censeat. Ex illis igitur verbis neque eruere possumus, quonam anno Isocrates patria relicta Chium profectus sit quotque annos illic degerit, neque omnino secundum testimonium Pseudo-Plutarchi, qui ipse addit: *ὡς τινὲς φασὶν* satis constat, num re vera primo Chii scholam rhetoricam aperuerit. Tantummodo ex illius testis enarratione elucet, oratione, quae inscribitur *πανηγυρικός*, confecta, in schola rhetorica juvenes eloquentia instituisse i. e. post annum 380, cum eam ol. C. scriptam esse non sine causa conjiciatur.

Cum autem hac de re quidquam certi statui nequeat, priusquam demonstraverimus, quonam anno in exilium expulsus sit, jam nos indagare oportet, quando et qua de causa patria discedere coactus sit. Quod Pflugkii quidem (p. 17.) in ipsa auctoris infantia accidisse conjicit sic explicans: „Nam si quis Photii verba paulo diligentius consideraverit, non dubito, quin miraturus sit primo stultitiam hominis, qui, quot annos Theopompus ab exilio rediens habuerit, commemoret, quando natus sit, reticeat.“ Quam sententiam recto talo, ut ita dicam, stare judico, quum ex verbis Photii *τοῦ πατρὸς ἐπὶ λακωνισμῷ ἀλόγτος* nostro jure colligere possimus, Theopompum, qui certe ipse discidiis civilibus sese interposuisset, tum nondum ad aetatem juvenilem pervenisse. Atque eo magis mirum videtur, quod Photius, filio silentio praetermisso, tantum, quas partes pater secutus sit, mentionem facit, cum et compluribus locis (cf. Photium. l. c.: *Πτολεμαῖον δὲ τὸν ταύτης βασιλέα οὐ προσέισθαι, ἀλλὰ καὶ ὡς πολυπράγμονα ἀνελεῖν ἐθελῆσαι*. Suid. s. *Ἐφορος* b: *ὁ δὲ Θεόπομπος τὸ ἦθος*

\*) Pseudo-Plutarch. vit. Isocr. p. 837. A: *καὶ τα πατρῷα ἀποβέβηκώς ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίου πολέμῳ.*

*πικρὸς καὶ κακοήθης.* Cic. Brut. 56, 204: Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi etc.) Theopompum acri animo fuisse memoriae mandatum sit et Strabo (XIV. p. 645.) expressis verbis enarret, eum Theocriti Chii adversarium fuisse. De causa ipsa, propter quam Damasistratus, Theopompi pater, exilio multatus sit, recte jam monuit Pflugkius (p. 16.) hisce verbis utens: „Ipsum quidem crimen, quo concidit Damasistratus, ejusmodi est, ut in ea tantum tempora incidere potuerit, quibus de principatu Graeciae Lacedaemonii certarent.“ Notum est autem, Chios, qui extrema belli Peloponnesiaci parte a Lacedaemoniis steterant,\*) postea, cum hi, victoria ab Atheniensibus reportata inflati, nimiam potentiam in socios exercerent, a molesta eorum dominatione sese liberare studuisse. Itaque Cononi, cum pugna apud Cnidum commissa Lacedaemoniorum opes fregisset, se tradidere.\*\*) (Diod. XIV. 84.) Sed paulo post iterum Lacedaemoniorum partes secuti in hoc foedere usque ad ea tempora perseveraverunt, quibus illi gravi dominatione ceterorum Graecorum animos ita exacerbaverunt, ut multae civitates, cum Atheniensibus foedere icto, iis bellum indicerent. (cf. Diod. XV. 28: *οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι διὰ τὸ μέγεθος τῆς περὶ αὐτοὺς δυνάμεως ὑπεροπτικῶς καὶ βαρέως ἤρχον τῶν ὑποταγμένων. διόπερ πολλοὶ τῶν ὑπὸ αὐτοὺς τεταγμένων ἀπέκλινον πρὸς τοὺς Ἀθηναίους. πρῶτοι δὲ πρὸς τὴν ἀπόστασιν ὑπήκουσαν Χίοι καὶ Βυζάντιοι* etc. (cf. Schäfer. Demosthenes und seine Zeit. I. 23.) Quae societas inter Chios et Athenienses quum ol. 400. 4. i. e. anno 377. jungeretur, Theopompus duos annos natus erat, cum, Lacedaemoniorum opibus in Asiae civitatibus fractis, pater ejus, qui illorum partibus favebat, patria discedere cogebatur. Huic jam a Pflugkio prolatae sententiae repugnavit C. Muellerus (F. H. G. I. p. LXVI.), qui circiter duodeviginti annis post Damasistratum in exilium missum esse arbitratur, ad ea tempora respiciens, quibus Thebani, Epaminonda auctore, imperium maritimum sibi comparare studentes Rhodios, Chios, Byzantios commovere conati sunt, ut sibi contra Lacedaemonios bellum gerentibus opitularentur. (Diod. XV. 79: *εὐθύς οὖν ὁ δῆμος (sc. Thebani) ἐψηφίσατο τριήρεις μὲν ἑκατὸν ναυπηγεῖσθαι, νεώρια δὲ ταύταις ἴσα τὸν ἀριθμὸν, Ῥοδίους δὲ καὶ Χίους καὶ Βυζαντίους προτρέπεσθαι βοηθῆσαι ταῖς ἐπιβολαῖς. αὐτὸς δὲ μετὰ δυνάμεως ἐκπεμφθεὶς (sc. Epaminondas) ἐπὶ τὰς εἰρημένας πόλεις Λάχητα μὲν τῶν Ἀθηναίων στρατηγὸν, ἔχοντα στόλον ἀξιόλογον καὶ διακωλύειν τοὺς Θηβαίους ἀπεσταλμένον, καταπληξάμενος καὶ ἀποπλεῦσαι συναναγκάσας, ἰδίας τὰς πόλεις τοῖς Θηβαίοις ἐποίησεν.* (cf. Schäfer. Demosthenes u. seine Zeit I. 105. sq.) Quae conjectura si recte sese haberet, circiter ad duodevicesimum aetatis annum Theopompus in patria mansisset. Sunt autem

\*) cf. Grote. Gesch. Griechenlands überf. v. Meißner IV. 281. f.

\*\*) Grote. V. 255.

complures causae, quibus ductus hanc opinionem refellendam judico. Ac primum quidem haud perspicio, cur Photius *ἐπι λακωνισμῶ τοῦ πατρὸς* dixerit, quoniam illis regionibus tum vehementissimi Thebanorum adversarii erant Athenienses, qui Lachete duce classe illuc missa, quominus Chii aliaeque, quas attuli, civitates deficerent prohibere studebant. Deinde vix credibile videtur, inter Chios, tum societate cum Atheniensibus artissime conjunctos, fuisse, qui Lacedaemoniorum partibus faverent. Deinde nequaquam ex Diodori verbis elucet, Chios sua sponte, ut vult Muellerus l. l., sese ad Thebanos applicavisse et recte monuit Schäfer l. c. p. 106: „Jene Kriegsfahrt der Thebaner war die erste und letzte, und ein Bündniß mit den Seestädten, wenn auch eingeleitet, ist nicht in Kraft getreten.“ Nec mihi probari potest sententia viri illius doctissimi, qui Theopompum in ipsa patria, priusquam in exilium eiceretur, Isocratis disciplina usum esse censet. Quid enim? Nonne prorsus a veritate abhorrere videtur, illum, qui tum prima juventute erat, tam breve temporis spatium scholam ejus viri frequentasse, cujus discipulorum in numero primum locum obtinet (cf. Dion. Hal. ad Cn. Pomp. VI: *Θεόπομπος δ' ὁ Χίος ἐπιφανέστατος πάντων τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν γενόμενος*) cuique maximam suae gloriae partem debet?

Itaque cum Theopompum jam anno 377 Chium reliquisse demonstravimus, eumque quadraginta quinque annos natum illuc Alexandri opera rediisse Photius testetur, inde concludimus, fieri non potuisse, ut in ipsa patria in Isocratis discipulorum numerum reciperetur, nec dubitamus Pflugkio assentiri, qui eum Athenas, ubi ab Isocrate arte rhetorica imbueretur, profectum esse censet. (p. 48.) Cui opinioni Muellerus loco jam supra allato repugnat hisce verbis utens: „num is, qui propter studium suum Lacedaemoniorum, Atheniensibus quodammodo auctoribus, civitate erat, ejectus, Athenas se contulisse putandus erit?“ Sed cum et a Photio commemoretur, patri soli studium Lacedaemoniorum crimini datum esse, neque verisimile videatur, hanc ob rem filio Athenis morari haud licuisse, sententiam illam rejiciendam existimo, praesertim cum ab eodem teste enarretur, ad multas terras urbesque Theopompum adiisse, (*ἔτι δὲ καὶ διότι οὐδεὶς ἐστὶ τόπος κοινὸς τῶν Ἑλλήνων οὐδὲ πόλις ἀξιόχρεως, εἰς οὗς αὐτὸς οὐκ ἐπιδημῶν καὶ τὰς τῶν λόγων ἐπιδείξεις ποιούμενος οὐχὶ μέγα κλέος καὶ ὑπόμνημα τῆς ἐν λόγοις αὐτοῦ κατέλιπεν ἀρετῆς.*) quod Dionysius quoque Halicarnasensis memoriae prodidit. (ep. ad Cn. Pomp. c. VI: *δῆλος γὰρ ἐστίν, εἰ καὶ μηδὲν ἔγραψε, πλείστην μὲν παρασκευὴν εἰς ταῦτα παρεσκευασμένος, μεγίστας δὲ δαπάνας εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν τετελεκώς καὶ πρὸς τούτοις πολλῶν μὲν αὐτόπτης γεγενημένος, πολλοῖς δ' εἰς ὁμιλίαν ἐλληλυθῶς ἀνδράσι τοῖς τότε πρωτεύουσι καὶ στρατηγοῖς καὶ δημαγωγοῖς καὶ φιλοσόφοις διὰ τὴν συγγραφὴν.*) Accedit altera causa

a Muellero prorsus neglecta, qua comprobatur, patris Lacedaemoniorum studium filio, quominus Athenis, celeberrima illa aetate artis rhetoricae sede, versaretur, nequaquam impedimento fuisse. Jure enim meritoque monuit A. Riese: (Fleckeisen. Jahrbücher f. klass. Philol. Heft X. p. 676. \*) „Die Nachricht bei Photius spricht nur für den Latonismus seines Vaters, ja, streng genommen, wird der Tod des Vaters grade unter den zwei Ursachen aufgeführt, die ihm die Rückkehr ermöglichten und er selbst gehörte demnach eher zur andern Partei. Diese Vermuthung — bei welcher unter der andern (demokratischen) Partei freilich durchaus keine zügellose Demagogie zu verstehen ist — wird dadurch bestätigt, daß Alexander der Große es war, der seine Rückkehr befürwortete.“ Minime probabile videtur, Alexandrum, quippe qui in Asia, omnibus locis optimatum potestate dissoluta, populi imperium restitui juberet, (cf. Arrian. Exped. Alex. I. 18. 4. 2.: *Καὶ τὰς μὲν ὀλιγαρχίας πανταχοῦ καταλύειν ἐκέλευσε, δημοκρατίας δὲ τε ἐγκαθιστάναι* etc. et I. 17, ubi de Alexandro Ephesi morante verba facit: *τοὺς δὲ φυγάδας, ὅσοι δι' αὐτὸν ἐξέπεσον τῆς πόλεως, κατήγαγε καὶ τὴν ὀλιγαρχίαν καταλύσας δημοκρατίαν κατέστησε.* — v. A. Schäfer. Dem. u. s. Z. III. I. p. 148. sq. p. 157. 163 sq.) patronum, ut ita dicam, Theopompi exstitisse, si patris exemplum secutus cum Lacedaemoniis fecisset, qui tum a Persis stabant et propterea apud Alexandrum magno erant in odio. (cf. Arrian. I. c. 16. extr.: *ἀποπέμπει δὲ καὶ εἰς Ἀθήνας τριακοσίας πανοπλίας Περσικὰς ἀναθήματα εἶναι τῇ Ἀθηνᾷ ἐν τῇ πόλει καὶ ἐπίγραμμα ἐπιγραφῆναι ἐκέλευσε τόδε: Ἀλέξανδρος Φιλίππου καὶ οἱ Ἕλληνας πλὴν Λακεδαιμονίων ἀπὸ τῶν βαρβάρων τῶν τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντων.*)

Nihil igitur est quod obstat, quominus Theopompum exsulem, ut litteris totum se dederet, Athenas migrasse ibique ex Isocratis disciplina fructus percepisse uberrimos credamus. Quibus in studiis illic primo versatus sit, licet nusquam expressis verbis enarretur, tamen non sine causa conicere possumus, eum, simulatque Isocratis discipulus factus est, cum philosophiae tum arti rhetoricae studuisse, (cf. Quintil. inst. or. X. 4: Theopompus ut in historia praedictis (Herodoto et Thucydide) minor, ita oratori magis similis, ut qui, antequam est ad hoc opus sollicitatus, diu fuerit orator.) idque summo ardore. (cf. Suid. s. v. *Ἐφορος: ὁ γοῦν Ἰσοκράτης τὸν μὲν* (sc. *Θεόπομπον*) *ἔφη χαλινῶ δεισθαι, τὸν δὲ Ἐφορον κέντρον.* Cic. Brut. 56. de orat. III. 9. Quint. inst. or. II. 8. 11.) Orationum, quas multas eum compouisse constat (Dion. Halic. I. 1. *καὶ πολλοὺς μὲν πανηγυρικοὺς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους*) nulla quidem exstat, attamen dubitari nequit, quin eloquentiae laude inter omnes illius aetatis

\*) eodem loco sententiam et C. Muelleri improbat, qui Theopompum „nobilitatis instrumentum eloquentissimum“ vocat et W. Frickii. (Untersuchungen über die Quellen des Plutarch im Nicias u. Alcibiades. Leipzig 1869.)

oratores eminuerit, quod maxime elucet e certamine ab Artemisia, marito mortuo, instituto, cujus semel ac saepius ab antiquis scriptoribus mentio fit. Qua de re copiosissime disserit Gellius (Noct. att. X. 48. 6.), cujus enarrationem jam supra laudavimus. Diu multumque inter viros doctissimos disputatum est, utrum huic certamini Isocrates ipse, clarissimus orator Atheniensis, interfuerit necne. Testimonium illud Gellii, cum et a Plutarcho (vit. Isocr. 838. B: *ἠγωνίσατο δὲ καὶ τὸν ἐπὶ Μανσώλῳ τεθέντα ὑπ' Ἀρτέμιδος ἀγῶνα, τὸ δὲ ἐγκώμιον οὐ σώζεται*) et a Porphyrio (ap. Euseb. praep. evang. X. 3. p. 464. C: *ὑπερφρονεῖ ὁ Θεόπομπος τὸν Ἰσοκράτην καὶ νενικῆσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ λέγει κατὰ τὸν ἐπὶ Μανσώλῳ ἀγῶνα τὸν διδάσκαλον*) confirmetur, Ruhnkenius (hist. crit. or. gr. p. 464.) illo certamine discipulum re vera a magistro victoriam reportasse censuit. Sed jam a Pflugkio (p. 26. sq.) et a Wichersio \*) (p. 13 et 14.) recte adnotatum est, testimoniis illis multum auctoritatis non esse tribuendum. Ac primum quidem Gellius de fama quadam dicit („sunt qui“), deinde a Suida (sub v. Ἰσοκράτης Ἀπολλωνιάτης) enarratur, non insignem illum Isocratem Atheniensem, sed Apolloniatem, qui ibidem *μαθητῆς καὶ διάδοχος τοῦ μεγάλου Ἰσοκράτους* vocatur, certaminis, de quo agitur, participem fuisse. (*οὗτος δ' ὁ Ἰσοκράτης καὶ Θεοδέκτη τῷ ῥήτορι καὶ τραγωδιοποιῷ καὶ Θεοπόμπῳ τῷ Χίῳ ἅμα τῷ Ἐρυνθραίῳ Ναυκράτει διηγωνίσατο περὶ λόγων εἰς τὸν ἐπιτάφιον Μανσώλου τοῦ βασιλέως Ἀλικαρνασσοῦ.*) Quominus auctores ejusdem nominis inter se commutatos esse credamus, verba Porphyrii, qui Theopompo ipso teste utitur, prohibere manifestum est. Quae quum ita sint, Pflugkio (p. 27. sq.) conjicit, Porphyrium ad eundem Theopompi locum respexisse ac Photium (l. a. *συνακμάσαι δὲ λέγει* etc.) et eum aut ipsum parum accurate inspexisse aut incertum rumorem secutum esse. Qua autem ratione ille Porphyrii error exortus sit, ex viri illius doctissimi explicatione haud satis elucet neque obscuritas, quae inest in verbis: „κατὰ τὸν ἐπὶ Μανσώλῳ ἀγῶνα“ prorsus removetur. Equidem falsam famam ex loco quodam, quem Theopompum ipsum habuit auctorem, fluxisse assentiens, causam ejus fuisse crediderim, quod hic, semet ipsum, ut solet, maximis laudibus praedicans, alicubi magistri gloriae obtrectans sibi maximam laudem propterea vindicaverit, quod illustrissimo certamine coram magna multitudine orationem praemio dignissimam habuerit. Hac de causa sibi Isocratem spernere licere putavit, quem publicis orationibus sese abstinuisse veteres scriptores uno ore consentiunt. (v. Plutarch. vita Isocr. p. 236: *ἐπεὶ δ' ἠνδρώθη* (sc. Ἰσοκράτης), *τῶν μὲν πολιτικῶν πραγμάτων ἀπέσχετο ἰσχνόφωνος τῶν καὶ εὐλαβῆς τὸν τρόπον* — *ἄλλοις δὲ μεμελετηκῶς φαίνεται, ἕνα δὲ μόνον εἰπῶν λόγον τὸν περὶ τῆς ἀντιδόσεως.* Cic. Brut. c. 8: *magnus orator* (sc. Isocrates) et

\*) A. Riese. l. a. idem sentit.

perfectus magister, quamquam forensi luce caruit intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo meo quidem iudicio est postea consecutus.) Praeterea ad falsum rumorem, quo decepti nonnulli auctores Isocratem Atheniensem certamini interfuisse tradiderunt, divulgandum Isocratis Apolloniatis nomen multum valuisse non nego.

Quot annos Theopompus Athenis versatus sit quasque deinde terras peragraverit, quamvis disertis verbis nusquam exponatur, tamen conijcere licet, eum, quomiam orator haudquaquam spernendus praedicatur, cum animi vires accuratissime excolisset, longa itinera suscepisse multasque urbes illis temporibus celeberrimas adüsse, ut materiam multifariam operum, quae postea edidit, colligeret. (cf. Phot. l. c. Dion. Hal. ad Cn. Pomp. c. VI.) Qua in re multum eum adjuvit, quod ei satis superque, unde viveret, suppetebat. (Dion. Hal. l. a: *μεγίστας δὲ δαπάνας εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν τετελεκώς*. Phot. l. l: *αὐτὸν δὲ καὶ Ναυκράτην αὐταρκῶς ἔχοντας ἐν τούτοις σὺν χρήμασι*. cf. Athen. III. p. 85. A.) Tandem eum quadraginta quinque annos natum epistola ab Alexandro ad Chios missa in patriam rediisse jam supra commemoravi simulque cum de anno, quo una cum patre in exilium missus esset, tractarem adnotavi, eum in insulam reversum graves inimicitias praecipue cum Theocrito Chio, viro admodum maligno et faceto (cf. Stob. Flor. 124, 32. 4, 70. 33, 15 et alias.) qui et ipse ex Isocratis schola profectus erat (cf. Suid. s. v. *Θεόκριτος Χίος ῥήτωρ, μαθητὴς Μητροδώρου τοῦ Ἰσοκρατικοῦ*.) sibi contraxisse.\*) (cf. Schäfer. Dem. u. s. Z. III. 322.) Quem adversarium Alexandri fuisse vehementissimum ex compluribus locis, quibus in regis amicos magna acerbitate invehitur, colligere licet. Et Aristoteli clarissimo Alexandri magistro maledicere ausus est epigrammate, quod adhuc exstat (ap. Eusebium praep. ev. XV. 1.) et Anaximeni Lampsaceno, Alexandri comiti, obtrectavit. (Stob. floril. XXXVI. 20. cf. Athen. I. p. 21. C.) Partes autem, a quibus Theocritus stabat, dum Alexander vivebat, nihil contra Theopompum valuisse ex Photii verbis elucet; mortuo autem rege patriam iterum relinquere coactus est, Theocrito illo fortasse auctore, cujus iram ipse, ut ex fragmento quodam (ap. Muell. 276.) patet, litteris ad Alexandrum missis, (*ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαῖς*) de quibus infra tractabimus, admodum moverat. Neque autem, quo primo confugerit, nec quonam anno vita excesserit, ex Photii saepius laudati testis libro cognoscimus, sed tantummodo eum, cum et suo liberiore sermone et operibus suis, in quibus multorum hominum multarumque civitatum mores corruptos depravatosque castigaverat (cf. Dion. Halic. Ep. ad. Cn. Pomp.:

\*) v. Strabo XIV. p. 645: *ἄνδρες δὲ Χίος γεγονασιν ἰλλογίμαι Ἴων τε ὁ κρητικός καὶ Θεόπομπος ὁ συγγραφεὺς καὶ Θεόκριτος ὁ σοφιστής· οὗτοι δὲ καὶ ἀνεπολιτεύσαντο ἄλλήλοισι.*

διαλλάττει δὲ τῆς Ἰσοκρατείου (sc. λέξεως) κατὰ τὴν πικρότητα καὶ τὸν τόνον ἐπ' ἐπίων, ὅταν ἐπιτρέψη τοῖς πάθει, μάλιστα δ' ὅταν ὀνειδίξῃ πόλεσιν ἢ στρατηγοῖς πονηρὰ βουλεύματα καὶ πράξεις ἀδίκους.) in multorum invidiam atque odium pervenisset, diu certa sede carentem fuisse ex Photii verbis: „ἐκπεσόντα πανταχόθεν“ patet. Nec dubito, quin discordia inter Theopompum et Anaximenem Lampsacenum, de qua infra accuratius dicemus, (cf. Paus. VI. 18.) multum ad odium contra rerum scriptorem movendum vel augendum contulerit. Neque in Aegypto, quo postremo, ut sibi a Ptolemaeo subveniretur, confugit, internecionem effugisset, nisi nonnulli ex amicis pro ejus salute regi supplicassent. (Phot.: Πτολεμαῖον δὲ τὸν ταύτης βασιλέα οὐ προσέειπεν τὸν ἄνδρα, ἀλλὰ καὶ ὡς πολυπράγμονα ἀνελεῖν ἐθέλησαι, εἰ μὴ τινες τῶν φίλων παραιτησάμενοι διασώσαντο.) Quonam autem anno in illa terra, ubi eum ad extremum vitae spiritum permansisse crediderim, diem supremum obierit, nusquam memoriae mandatum est, nec satis liquet, num ex Photii verbis: Πτολεμαῖον τὸν ταύτης βασιλέα, concludi possit, eum demum ol. CXVIII. 2. ao. 306. a. Chr. n., quo Ptolemaeum sibi ipsum nomen regium vindicasse notum est, in Aegyptum venisse ibique e vita migrasse. Attamen, ut Riese l. I. p. 680. docuit \*), eum paulo post mortem Alexandri, cujus tutela adversariorum et civium insidias coercuerat, patria relicta eo profectum esse probabilius videtur. (cf. Pflugk. p. 34.)

## Caput II.

### De Theopompi scriptis.

Omnibus, quae de Theopompi vita ab antiquitatis scriptoribus tradita sunt, perflustratis ac recensitis, nunc, quibus operibus partim insignem laudem et apud aequales et apud posteros sibi comparaverit (cf. Dion. Hal. l. a.), partim vehementem vituperationem (cf. Polyb. VIII. 11: μάλιστα δ' ἂν τις ἐπιτιμήσειε etc.) subierit, perscrutari liceat. Qua in quaestione Suida solo teste uti possumus, qui unus catalogum librorum a Theopompo compositorum exhibet idque paucissimis verbis: (sub v. Θεόπομπος Χίος ἔγραψε ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν ἐν βιβλίοις β'\*\*), Φιλιππικὰ

\*) Dubitantes Schäfer (Abriß d. Quellenkunde der griech. Geschichte p. 57.) dicit: er fand schließlich Aufnahme bei Ptolemaeus von Aegypten, wenn Photius sich genau ausdrückt, nicht vor ol. 118. 2. 306.

\*\*) pro: Ἰσοκράτους μαθητής. ἅμα Ἐφόρω ἔγραψε ἐπιτομὴν etc. interpungendum esse: Ἰσοκράτους μαθητής ἅμα Ἐφόρω. ἔγραψεν etc. jam recte monuit Jo. Meursius ad Apoll. Dysc. hist. comment. c. X. cf. Ruhnck. hist. crit. or. gr. p. 164. Marx ad Ephor. p. 34. Meursius ad Hesychium p. 187. fragmentum ex Philippicorum libro tertio (52 ap. Muell.) epitomes Herodoteae esse arbitratus eam tres libros comprehendisse judicavit.



ἐν βιβλίοις οβ', Ἑλληνικὰς ἱστορίας, ἔπονται δὲ ταῖς Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος καὶ εἰσὶν ἐν βιβλίοις ια', ἔχουσαι τὰ ἀπὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου.

Quanta autem negligentia in Theopompi libris enumerandis usus sit, primum ex eo patere mihi videtur, quod, chronologia omissa, Hellenica post Philippica commemorat, deinde, quod in numeris librorum definiendis bis, ut infra videbimus, in errore versatur, denique, quod Hellenicis allatis addit: *ἔπονται δὲ ταῖς Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος*. Quem quidem lapsum Wichersius (p. 20.) emendatione tollere studuit, lexicographum pro „ταῖς Θουκυδίδου καὶ Ξενοφῶντος“ scripsisse ratus: *ὡς καὶ αἱ Ξενοφῶντος\**) nimiam auctoritatem, ut opinor, cum aliis locis tum hic Suidae tribuens.

Libelli ab eo primo loco commemorati (*ἐπιτομὴ τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν*) cum tantum perpauca fragmenta a Suida, Photio, Hesychio\*\*), grammatico quodam (in Bekkeri anecd. p. 80.) tradita exstent, quibus nil continetur nisi singulorum verborum breves interpretationes, qualis ille fuerit, inde erui omnino nequit, praesertim cum nullum praeterea testimonium, quod hac de re nos doceat, praesto sit. Quae quum ita sint, haud injuria nonnulli viri doctissimi dubitaverunt, num epitome illa notissimum rerum scriptorem habeat auctorem. Quam in sententiam quin discedam facere non possum, quum a Dionysio Halicarnassensi, qui copiosissime in epistola saepius laudata de Theopompi operibus agit, neque illius opusculi mentio fiat et eum tantum duorum operum historicorum notitiam habuisse ex hisce verbis eluceat: *λόγου δ' ἀξίαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος ἀξιώσ' ἐστὶν ἐπαινεῖσθαι, πρῶτον μὲν τῆς ὑποθέσεως τῶν ἱστοριῶν καλαὶ γὰρ ἀμφοτέραι, ἢ μὲν τὰ λοιπὰ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου περιέχουσα, ἢ δὲ τὰ Φιλίππῳ πεπραγμένα*. Nec dissentit Photius, qui eo loco, quo de Isocrate Ephorum et Theopompum discipulos arte historiae scribendae imbuente verba facit, haecce explicat: *καὶ τὰς ἱστορικὰς δ' ὑποθέσεις τὸν διδάσκαλον αὐτοῖς προβαλεῖν, τὰς μὲν ἄνω τῶν χρόνων Ἐφῶν, Θεοπόμπῳ δὲ τὰς μετὰ Θουκυδίδην Ἑλληνικὰς, πρὸς τὴν ἐκατέρου φύσιν καὶ τὸ ἔργον ἀρμοσάμενον*. Denique ex mea quidem sententia ad illam opinionem stabiliendam multum valet, quod ab Athenaeo quoque, qui non modo Theopompi historiarum et graecarum et Philippicarum libros, sed etiam epistolas et diatriben ejusdem auctoris de Platone scriptam laudat, nusquam de Herodoti opere a Theopompo in epitomes formam redacto disserit.

Pflugkii, quamquam Vossii (de hist. gr. p. 46. 31.) sententiam, qui scriptum illud juniore cuidam ejusdem nominis auctori vindicat, non refutat, tamen addit (p. 35).

\*) cf. Marcellini vita Thueyd. §. 45.

\*\*) Dubitari potest, utrum locus, qui invenitur in Hesychii libro, ex epitome efluxerit, an ex alio opere historico sive Hellenicis sive Philippicis.

„credibile esse, ut aliquid inde coloris suae orationi conciliaret, hanc operam eum suscepisse“, Muellerus autem (F. H. G. IV. 626.) iudicium, quod antea protulerat, (F. H. G. I. p. LXVIII.) corrigens epitomen istam non tam junioris alicujus fuisse opellam, sed a seriore quodam grammatico sub Theopompi Chii nomine divenditam esse censet. Copiosissime hac de re disputavit G. Frommelius (de Theopompi Chii epitome Herodotea in Creuzeri Meletem. III. p. 436.), qui Suida teste usus et paucis locis, quibus a grammatico quodam (in Beckeri anecd. p. 80. 404. 445.) ejus mentio fit, nisus, Theopompum ipsum auctorem esse demonstrare studuit, nullum autem argumentum attulit, quo, ut hanc sententiam comprobemus, nobis persuadeat. Nihil enim aliud egit, quam ut verisimile esse ostenderet, Theopompum ab Isocrate magistro prima adolescentia commotum esse, ut libris Herodoti legendis operam daret.\*) Itaque, quum divinari nequeat, quisnam, Theopompi nomine operi inscripto, opusculum ediderit, tota res in medio relinquenda videtur, nisi forte conjectura comprobatur, in quam, Theopompi fragmentis accuratius perlectis, incidi. Etenim cum et Theopompus ipse loco quodam profiteatur, se melius quam Herodotum, Ctesiam, Hellanicum aliosque fabulas enarraturum esse (cf. Strabo I. p. 43: *Θεόπομπος φήσας, ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις, ἐρεῖ κοῦτερον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος καὶ οἱ τὰ Ἰνδικὰ συγγράψαντες.*) et ex fragmentis, quae supersunt, cognoscamus, multas fabulas, quae a Herodoto exponuntur, in historiarum quoque Theopompi libris explicatas fuisse (cf. Cic. de legg. I. 4, 5: et apud Herodotum patrem historiae et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.) jure meritoque Theopompum operi Herodoti legendo diligenter studuisse concludimus. Plenus autem earum imprimis octavus Philippicorum liber fuisse videtur, qui alias sub titulo *Θαυμάσια* laudatur. (cf. Diog. Laert. I. 41 2. p. 86. ed. Hübner: *ὡς φησι Θεόπομπος ἐν τοῖς Θαυμασίοις.* Apoll. Dysc. Hist. Comm. c. 10, et ibidem c. 1: *ἔτι δὲ καὶ Θεόπομπος ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐπιτρέγων τὰ κατὰ τόπους Θαυμάσια.* Serv. ad Virg. Ecl. VI. 13: haec autem omnia de Sileno a Theopompo in eo libro, qui Thaumasia appellatur, conscripta sunt.) Quod quo melius intelligatur, exempli gratia historiam Zopyri affero (fr. 73.), de quo Herodotus fusius agit (lib. III. 154. sq.) et insidias, quas Midas rex Sileno struxit (fr. 74. 75. 76.), quam rem hic quoque attingit. (lib. VIII. c. 138.) Nec dissimile fuisse argumentum libri subsequenter, propterea crediderim, quod in paucis, quae ad nostram aetatem

\*) cf. p. 138. not. 2: neque mehercule Theopompum aduultum atque adeo virum hoc fecisse (sc. epitomen scripsisse) crediderim, sed ante, dum inter rhetorices spatia versaretur vel sponte sua vel ab Isocrate jussu, qui, quo tempore oratoria palaestra puerum exerceret, historiae artis fundamenta poni debere bene vidisset.

pervenerunt aetatem, fragmentis maximam partem de rebus ex mythologia petitis agitur. Ac cum hisce locis nonnulla nobis occurrant ab iis, quae apud Herodotum scripta invenimus, haud diversa, veluti res e Bacidis vita (fr. 81.), cujus saepius in hujus auctoris historiarum libris mentio fit, (VIII. 20. 77. 96. IX. 43.) et descriptio vallis clarissimae inter Ossam et Olympum sitae, cui Tempe nomen erat (fr. 83.), quam hic quoque (lib. VII. c. 129.) accuratius adumbravit, etiam hac Philippicorum parte, quam postea intercidisse Menophanes (v. Phot. l. a.) testatur, mirabilia exposita fuisse persuasum habeo. (cf. fr. 85. ex Antigon. Caryst. Hist. mirab. c. 15.) Ac cum Muellerus (F. H. G. I. LXL.) de Ephoro dicens probabiliter, ut mihi quidem videtur, statuerit, inventorum libros duos (*τὰ περὶ τῶν εἰρημάτων*) et ἀγαθῶν καὶ κακῶν βιβλία καὶ ἐξ ἀποδόξων τῶν ἑκασταχοῦ βιβλία ἰε', quae Ephoro tribuerentur, nihil aliud esse nisi excerpta a quodam posterioris aevi scriptore collecta, verisimile esse putaverim, Theopompi quoque opus amplissimum materiam librorum componendorum praebuisse uberrimam, quae conjectura eo confirmatur, quod a Philippo III. omnia, quae ad Philippum, Alexandri patrem, respiciebant, excerpta esse Photius memoriae prodidit. (*διὸ καὶ Φίλιππος ὁ πρὸς Ῥωμαίους πολεμήσας, ἐξελὼν ταύτας (sc. παρεκβάσεις) καὶ τὰς Φιλίππου συνταξάμενος πράξεις, αἱ σκοπὸς εἰσι Θεοπόμπῳ, εἰς XVI. βιβλίου μόνας, μηδὲν παρ' ἑαυτοῦ προσθεῖς ἢ ἀφελὼν πλὴν τῶν παρεκτροπῶν, τὰς πάσας ἀπήρτισεν.*) Eadem ratione nescio quem excerptorem omnibus fabulis, quae et ab Herodoto hic illic historiarum libris intertextae et a Theopompo Philippicorum libris, praecipue octavo et nono, explicatae erant, libellum, quem *Θεοπόμπου τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν ἐπιτομή* inscripsit, composuisse existimo.

Jam transire liceat ad id opus historicum, quod Theopompum, auctore Isocrate, scribere constituisse Photius testatur. (*καὶ τὰς ἱστορικὰς δ' ὑποθέσεις τὸν διδάσκαλον αὐτοῖς προβαλεῖν* etc.) Quamvis ex singulis Hellenicorum libris tantum rara fragmenta in aliorum auctorum scriptis reposita supersint, tamen, quae in iis exposita fuerint, ex duobus Diodori locis accuratius hac de re disserentis colligere licet. De spatio enim, quod auctor res Graecorum enarrans comprehenderit (lib. XIII. 42.) sic explicat: *Ξενοφῶν δὲ καὶ Θεόπομπος, ἀφ' ὧν ἀπέλιπε Θουκυδίδης τὴν ἀρχὴν πεποίηται. Θεόπομπος δὲ τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις διελθὼν ἐπ' ἔτη ἑπτακαίδεκα καταλήγει τὴν ἱστορίαν εἰς τὴν περὶ Κνίδου ναυμαχίαν* (ol. XCII. 2—ol. XCVI. 3. i. e. ab anno 411 usque ad annum 394.) *ἐν βιβλοῖς δυοκαίδεκα* et altero loco (XIV. c. 84.) eadem paulo accuratius refert: *Θεόπομπος δ' ὁ Χῖος τὴν τῶν Ἑλληνικῶν σύνταξιν κατέστροφεν εἰς τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν καὶ εἰς τὴν περὶ Κνίδου ναυμαχίαν γράψας βιβλίου δώδεκα, ὃ δὲ συγγραφεὺς οὗτος ἦρκεται μὲν ἀπὸ τῆς παρὰ Κυνὸς σῆμα ναυμαχίας, εἰς ἣν Θουκυδίδης κατέληξε τὴν πραγματείαν, ἔγραψε δὲ χρόνον*

*ετών δεκαεπτά.* (cf. Marcellin. vita Thuc. §. 45 et Polyb. VIII. c. 13.) Suidam et numero librorum (*καὶ εἰσὶν ἐν βιβλίοις ἰά*) et operis ambitu errasse, jam supra adnotavimus et bene perspexisse Wichersius mihi videtur, qua ratione falsus librorum numerus exortus sit, jam antiquis temporibus extremum i. e. duodecimū librum, cujus nullum ab aliis auctoribus traditum fragmentum exstet, deperditum esse ex loco apud Photium, quo vel a Menophane vel a Photio ipso Hellenica cum Philippicis commutata sint, eruens. (*Μηνοφάνης δὲ τις τὰ περὶ Θεόπομπου διεξιῶν καὶ τὴν δωδεκάτην συνδιαπεπτωκέναι λέγει.*) Atque multo probabilius est, quod Muellerus (F. H. G. I. p. LXVIII.) conjecit, Photium fortasse titulo *ἱστορίαι*, quo Menophanes etiam in Hellenicis laudandis usus esset, deceptum (cf. Suid. s. v. *Θεόπομπος· Ἑλληνικὰς ἱστορίας*) ex hujus auctoris testimonio Philippicorum duodecimū quoque librum intercidissee, confirmasse, (cf. Wichers. p. 20. et Clinton. F. H. p. 386.) quam quod sensit et Heynius, qui (in comment. III. de font. et auct. hist. Diodori in commentat. soc. Gotting. vol. VII. p. 444 h.) libri duodecimi esse Hellenicorum judicat, quae Photius cod. CLXXVI. ex XII. Philippicorum libro referat, et Wesselingius, qui (ad Diod. Sic. T. I. p. 573. sq.) nomina Theopompi et Callisthenis inter se permutata esse et fragmentum ad Callisthenis opus, quod *Ἑλληνικά* quidem inscriptum fuit, sed tantum ex decem libris constitit (cf. Diod. XIV. 117.) pertinere.

Argumenta singulorum librorum exponere quamvis propter rara et magnam partem brevissima fragmenta non liceat, attamen ex anonymi vita Thucydidis (§. 5.), quae initio operis enarrata fuerint, cognoscimus: *οὔτε γὰρ τὴν δευτέραν ναυμαχίαν τὴν περὶ Κυνὸς σῆμα, ἣν Θεόπομπος εἶπεν, οὔτε τὴν περὶ Κύζικον, ἣν ἐνίκᾳ Θρασύβουλος καὶ Θηραμένης καὶ Ἀλκιβιάδης, οὔτε τὴν ἐν Ἀργεννούσαις ναυμαχίαν, ἐνθα νικῶσιν Ἀθηναῖοι Λακεδαιμονίους, οὔτε τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν τῶν Ἀττικῶν, τὴν ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ναυμαχίαν, ὅπου καὶ τὰς ναῦς ἀπώλεσαν Ἀθηναῖοι καὶ τὰς ἐξῆς ἐλπίδας· καὶ γὰρ τὸ τεῖχος αὐτῶν καθρέθη καὶ ἡ τῶν τριάκοντα τυραννὶς καὶ πολλαῖς συμφοραῖς περιέπεσεν ἡ πόλις, ἃς ἠκρίβωσε Θεόπομπος.* Ceterum id ex fragmentis elucere crediderim, Theopompum hisce historiarum libris digressionibus, propter quas ab aliis scriptoribus semel ac saepius vituperatur, sese abstinentem ea sola, quae ad rem ipsam spectarent, exposuisse, ita ut jam hac de causa haud verisimile videatur, fragmentum libri duodecimi, de quo supra egimus, ex Hellenicis depromptum esse.

Longe clarissimum omnium a Theopompo compositorum operum Philippica, quae, Hellenicis confectis, eum scripsisse refert Polybius, (VIII. 13.) fuere, nonnullis locis (Athen. III. 77. D. 85. A. IV. 144 F. et alias.) sub titulo *ἱστορίαι* vel *λόγοι ἱστορικοί* (Phot. cod. 476) vel *αἱ περὶ Φίλιππον ἱστορίαι* (Diodor. XVI. 3.) laudata. Quanam

causa commotus Schweighaeuserus (ad Athen. VI. 259 F.) censuerit, titulum *Φιλιππικά*, quamquam ad partem operum historicorum, quae Theopompus reliquerit, pertineat, nonnullis locis ad omnia quoque spectare\*), haud perspicio, quum, quod sciam, Suidae testimonio solo excepto, ne unus quidem locus existat, ex quo, ullum ultra librum quinquagesimum octavum ab antiquis scriptoribus laudatum esse, eluceat. Quanta autem et quam multifaria doctrina hoc in opere fuerit, jam ex eo intelligitur, quod ex tot libris constitit, ac valde dolendum est, quod praeter dispersa singulorum librorum fragmenta ad nostram memoriam non pervenit, praesertim cum eum virum, qui multas terras peragraverat plurimaque ipse viderat, ejus spatii historiam, quo ipse florebat, optime exponere potuisse, nemo non videat. Quod Suidas rerum Philippicarum libros fuisse septuaginta duos adnotans errat, nobis, qui jam saepius ejus socordiam cognoverimus, mirum videri nequit. Quanam autem ratione in errorem inductus sit Pflugkius (p. 37.) haud male perspexisse mihi videtur, qui suspicatur, ab illo lexicographo numerum omnium historicorum operum, quae Theopompo assignentur, et Philippicorum (libb. 58) et Hellenicorum (libb. 12.) et epitomes Herodoteae (libb. 2.) cum Philippicorum permutatam esse.

Multo autem gravior hac in re testis est Photius, (cod. 176.) cujus auctoritas eo pluris habenda est, quod semet ipsum illos historiarum libros perlegisse disertis verbis profiteatur: *ἀνεγνώσθησαν Θεοπόμπου λόγοι ιστορικοί. ἡ δὲ καὶ γ' εἰσὶν οἱ σωζόμενοι αὐτοῦ τῶν ιστορικῶν λόγοι. διαπεπτωκέναι δὲ καὶ τῶν παλαιῶν τινες ἔφησαν τὴν δὲ ἕκτην καὶ ἑβδόμην καὶ δὴ καὶ τὴν ἐνάτην καὶ εἰκοστὴν καὶ τὴν τριακοστὴν. ἀλλὰ ταύτας μὲν οὐδ' ἡμεῖς εἶδομεν, Μηνοφάνης δὲ τις τὰ περὶ Θεόπομπου διεξιῶν (ἀρχαῖος δὲ καὶ οὐκ εὐκαταφρόνητος ὁ ἀνὴρ) καὶ τὴν δωδεκάτην συνδιαπεπτωκέναι λέγει καίτοι αὐτὴν ἡμεῖς ταῖς ἄλλαις συνανέγνωμεν.* Qua de re cum eum copiosissime et accuratissime disseruisse nemo non intelligat, jure miramur, quod nonnulli viri doctissimi in interpretando loco quodam Diodori: (lib. XVI. 3.) *τῶν δὲ συγγραφέων Θεόπομπος ὁ Χῖος τὴν ἀρχὴν τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν ἐντεῦθεν (i. e. ol. CV. 1.) ποιησάμενος γέγραφε βίβλους ὀκτώ πρὸς ταῖς πεντήκοντα, ἐξ ὧν πέντε διαφωνοῦσιν*, tam perversa protulere in significatione verbi *διαφωνεῖν* haesitantes. Bongarsii sententiam, qui (ad Justin. I. 4) quinque libris Theopompum res ad ipsam Philippi historiam non pertinentes enarrasse arbitratur, jure meritoque Wichersius refellit, admonens, (p. 23.) eadem ratione digrediendi a proposito auctorem aliis quoque libris haud

\*) I. I: itaque videndum est, ne interdum idem aliquis liber rerum Philippicarum potuerit sub diverso numero citari, prout is, qui eum citaverit, vel a totius operis exordio vel ab ipsarum rerum Philippicarum principio initium numerandi fecisset.

raro usum esse. Nec minus Rhodomanni opinio refutanda est, cum interpretationem, qua Diodori verba circumscribit: „de quinque librorum vero auctore discordiam intercessisse,“ ne usui quidem linguae graecae respondere et Wesselingius et Wichersius docuerint, auctorem, si illud exprimere voluisset, vel ἐξ ὧν περὶ τῶν πέντε vel ὧν περὶ πέντε scripsisse adnotantes. Denique ne minimam quidem probabilitatis speciem prae se fert conjectura Harlesii, qui, cum e libris XXI, XXXIX et XL loci laudarentur, qui ad res Dionysiorum, a Theopompo libris XLI — XLIII fuse tractatas, pertinerent, suspicatus est: „libros, exceptis tribus intextis et a Diodoro significatis, reliquos, in quibus res Siculae aliaequae (?) exponerentur, numero quinque, a nonnullis in dubium fuisse vocatos ideoque a Diodoro Siculo haud numeratos.“ Nullam autem aliam explicationem admittendam esse nisi eam, quam jam J. G. Vossius proposuit, quinque libros intercidisse interpretans, Photii loci ratione habita eo majore jure contendimus, quod Wesselingius (ad Diod. Sic. III. 41.) exempla collegit, unde verbum διαφρονεῖν saepius significatione: „intercidere“ inveniri apparet. Quod cum vir ille doctissimus recte ipse animadverterit, eo magis mirum videtur, quod quinque extremos rerum Philippicarum libros periisse credit, quamvis locus ex Photii opere laudatus, qui libros jam antiquitate deperditos singulatim enumerat, repugnet. Cujus testis iudicium quominus ambabus, ut ita dicam, amplectamur, minime impedimento est, quod ex illis libris fragmenta ab auctoribus, qui post Diodori aetatem floruerunt, tradita supersunt, cum ii, qui illorum librorum mentionem faciunt, ex aliis auctoribus, quibus integrum rerum scriptoris opus in manibus fuerat, haurire possent.

Qualis autem hujus operis dispositio fuerit, quo non modo res a Philippo gestae, sed multa alia a proposito perquam aliena exposita erant, optime ex hisce Photii verbis discimus: Πλείσταις μὲν οὖν παρεκβάσει παντοδαπῆς ἱστορίας τοὺς ἱστορικοὺς αὐτοῦ λόγους Θεόπομπος παρατείνει. διὸ καὶ Φίλιππος ὁ πρὸς Ῥωμαίους πολεμήσας ἐξελὼν ταύτας καὶ τὰς Φιλίππου συνταξάμενος πράξεις, αἱ σκοπὸς εἰσι Θεόπομπῳ, εἰς XVI. βιβλίου μόνως, μηδὲν παρ' ἑαυτοῦ προσθεῖς ἢ ἀφελὼν πλὴν τῶν παρεκτροπῶν τὰς πάσας ἀπήρτισεν. Nec mirum est, quod hanc ob rem, qua lectoris animus disturbetur necesse est, ab aliis scriptoribus vituperatur, veluti a Theone, qui (progymn 4. p. 185.) hanc enarrandi rationem sic castigat: παραιτητέον δὲ καὶ τὸ παρεκβάσεις ἐπιμβάλλεσθαι μετὰ διηγήσεως μακράς. Οὐ γὰρ ἀπλῶς χρὴ παραιτεῖσθαι, καθ' ἕνα ὁ Φίλιστος (ἀναπαύει γὰρ τὴν διάνοιαν τῶν ἀκροατῶν), ἀλλὰ τὴν τηλικαύτην τὸ μήκος ἥτις ἀπαλλοτριῶσι τὴν διάνοιαν τῶν ἀκρωμένων, ὥστε δεῖσθαι πάλιν ὑπομνήσεως τῶν προσηρημένων, ὡς Θεόπομπος ἐν ταῖς Φιλιππικαῖς. Δύο γὰρ πον καὶ τρεῖς καὶ πλείους ἱστορίας ὅλας κατὰ παρέκβασιν εἰρίσκομεν, ἐν αἷς οὐχ ὅπως Φιλίππου, ἀλλ' οὐδὲ

*Μακεδόνας τινός ὄνομά ἐστιν.* Quae digressiones cum essent magno spatio et semel tres deinceps libros comprehenderent, (Diod. XVI. 71: *τῶν δὲ συγγραφέων Θεόπομπος ὁ Χίος ἐν τῇ τῶν Φιλιππικῶν ἱστορίᾳ κατέταξε τρεῖς βίβλους περιεχούσας Σικελικὰς πράξεις* etc.) saepius majorem certe unius historiarum libri partem complerent, nonnullis partibus tituli peculiares praepositi sunt sive a Theopompo ipso sive, id quod potius crediderim, a posterioris aetatis scriptoribus. Quibus ex digressionibus unam jam supra attigimus cum de epitome Herodoti Theopompo adscripta diceremus, librum dico, qui inscriptus fuit *Θαυμάσια*, quia res mirabiles plurimarum terrarum complectebatur. (Dion. Hal. l. 1: *καὶ εἴ τι θαυμαστὸν ἐκάστη γῆ καὶ θάλασσα φέρει, συμπεριείληφεν ἐν τῇ πραγματείᾳ.*)

Atque iterum a proposito aberrasse Theopompum libro proximo i. e. decimo, vel ut rectius dicam, libri proximi parte extrema, ab Athenaeo comperimus, qui (lib. IV. p. 166. D. E.) dicit: *Θεόπομπος ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν, ἀφ' ἧς τινες τὸ τελευταῖον μέρος χωρίσαντες, ἐν ᾧ ἐστὶ τὰ περὶ τῶν Ἀθηνησὶν δημαγωγῶν* etc. Quem eundem titulum etiam scholiastes ad Lucianum (Tim. c. 29.) affert explicans: *ἐστὶ δὲ τῇ ἀληθείᾳ Χρέμητος, ὡς Θεόπομπος ἐν τῷ περὶ δημαγωγῶν* etc. Auctorem autem non modo de demagogis, Eubulo (Athen. IV. p. 166. D. E. cf. Harpocration. s. v. *Εὐβουλος*.) Cleone, (Schol. Luc. Tim. c. 29. Schol. Aristoph. Eq. v. 226. et Acharn. v. 6.) Hyperbolo, (schol. Lucian. Tim. c. 29. et schol. Aristoph. vesp. v. 1001.) sed omnino de rebus Atheniensium egisse, ex eo apparet, quod eodem libro et de Themistocle (Plut. Them. c. 19. et 25. et 31.) et de Cimone (schol. in Aristid. orat. in Cim. tom II. p. 284 et Athen. XII. p. 533 A.) et fortasse de Demosthene disserit (cf. Plut. Dem. c. 4. 13. 44. 25.), ita ut suspicari liceat, rerum scriptorem, hac occasione oblata, multa convicia cumulasse cum in Athenienses tum in hujus populi demagogos, unde factum esse, ut opprobrium malignitatis, quae ei haud raro crimini vertitur, (Plut. Lys. c. 30: *Θεόπομπος ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἂν τις ἢ ψέγοντι ψέγειν γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖν.* cf. Lucian. *πῶς δεῖ ἱστορ. συγγρ.* 59. Athen. VI. 254 B: *ὁ δυσμενέστατος Θεόπομπος*) sibi contraheret.

Denique ab Athenaeo Theopompus *ἐν τῷ περὶ τῶν συληθέντων ἐκ Δελφῶν χρημάτων* vel *ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ συγγράμματι περὶ τῶν ε. Δ. σ. χρ.* bis laudatur, (lib. XIII. p. 604. F. et XII. p. 532. D.) quam digressionem eo loco, quo Theopompus de bello sacro egit, interpositam verisimillimum est, ita ut recte Muellerns (F. H. G. I. p. LXXII.) hujus scripti fragmenta libro undetricesimo attribuerit (cf. Pflugk. p. 41. et Wichers. p. 30.) — Quae singulis historiarum libris, quorum nondum mentio facta est, exposita fuerint, hic enarrare non mihi est in animo, cum et longum sit

atque hac de re et Wichersius et Muellerus (F. H. G. I. p. LXX. sq.) copiosissime disputaverint. Id solum, priusquam de hoc Theopompi opere disserendi finem faciam, commemorare supersedere vix possum, quoniam anno rerum scriptor libros, quibus historiam rerum graecarum ab initio regni Philippi (Diod. XVI. 3. sub ol. CV. 1. i. e. a. 360/59: τῶν δὲ συγγραφέων Θεόπομπος ὁ Χίος τὴν ἀρχὴν τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν ἐντεῦθεν ποιησάμενος γέγραφε etc.) usque ad mortem hujus clarissimi Macedonum regis enarravit, ediderit. Haud injuria autem viri doctissimi monuerunt, fieri vix potuisse, ut Theopompus eos libros, quibus vehementissime in Philippum invehebatur, Alexandro vivo emitteret, quae sententia eo stabilitur, quod uno loco (Pollux. V. 72.) et Alexandri ipsius mentio fit et praeterea alia res in fragmento 108 commemorata de Callicle (cf. Schäfer. Dem. u. s. Z. III. 292 A. 1.) hujus rei testimonio est. Num autem vel annum 315 rerum scriptor attigerit, ut conjicit Riese in disputatione laudata, (p. 676) qui Cornelium Nepotem in Eumenis vita describenda ex Theopompi libris hausisse suspicatur, nunc dijudicare non ausim. Sed haec hactenus.

Diu multumque inter viros doctissimos certatum est, quam de re Theopompus egerit epistola ad Alexandrum, cujus gratiae reditum in patriam debebat, missa. Sed non solum de argumento harum litterarum sed etiam de titulo diversae sententiae prolatae sunt, quas singulas hisce schedulis recensebimus.

In eorum auctorum numero, quos hac in re testes afferre licet, primum locum obtinet Athenaeus, qui solus ex illa epistola bis locos laudat. (lib. XIII. p. 595. A. B. C: ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ et XIII. p. 586. C: ἐν τοῖς περὶ τῆς Χίας ἐπιστολῆς) Sed cum idem auctor alio quodam loco (lib. VI. 230.) titulo: αἱ πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαὶ utatur, primum statuendum videtur, utrum αἱ πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαὶ et αἱ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολαὶ duo inter se disjuncti libri fuerint necne. Haec quaestio in medio relinquenda esset, cum aliunde nullum testimonium, quod rem disceptet, praesto sit, nisi ex ipso Athenaei opere disceremus, Theopompum ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαῖς de Theocriti Chii moribus corruptis disserere, quod optime respondet loco apud Suidam s. Ἐφορος b: ἐπέστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίαν Ἀλεξάνδρῳ. Qua causa commotus jam Ruhnkenius (hist. crit. or. gr. p. 370) unum eundemque librum ab Athenaeo significari arbitratus est, nec quemquam inveni, qui huic sententiae repugnaret, excepto A. Riese, qui p. 680. scribit: wenigstens bewirfte Alexander seine Rückberufung nach Chios u. Theopomp richtete dann mehrfache ἐπιστολαὶ u. συμβουλαὶ an ihn.

Utrum complures an unam epistolam Theopompus, postquam in patriam rediit, ad Alexandrum scripserit, primo quidem aspectu dubium esse videtur. Qua in



quaestione si Athenaeum, gravissimum hac in re, ut opinor, testem sequimur, qui duobus locis numero singulari utitur, concedamus necesse est, Theopompum unam epistolam ad Macedonum regem misisse idque eo magis, quod alii loci ad rem dijudicandam haud multum valent, cum vocabulum *ἐπιστολαί* numero plurali pro singulari poni solere, res sit notissima. Sed cum nonnulli viri doctissimi in altero locorum supra laudatorum (lib. XIII. p. 386.) offenderint, silentio praeterire non possum, quibusnam modis locum emendare studuerint. Sylburgius (ad Dion. Halic. Ep. ad Ca. Pomp. c. 6.) lectionem proposuit: *ἐν τῇ πρὸς τοὺς Χίους ἐπιστολῇ*, quae ex mea quidem sententia nihil habet, quo se commendet. Neque enim credibile esse, Theopompum ad Chios de Harpalo scripsisse, et conjecturam ea potissimum re labefactari, quod de eodem viro ille *ἐν τῇ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπιστολῇ* egerit, jam recte monuit Schweighaeuserus, qui ipse legendum esse censuit: *ἐν τῇ περὶ τῆς Χίου ἐπιστολῇ* vel *ἐν ταῖς περὶ τῆς Χίου ἐπιστολαῖς*, de Chio insula Theopompum litteris ad Alexandrum missis exposuisse ratus. Quamvis non negem, auctorem multa cum ira ac studio de civibus scripsisse, (cf. Suid. sub v. *Ἐφορος* b: *ἐπιστελλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ*) tamen tantum abest, ut hanc lectionem comprobem, ut contra in Athenaei verbis nihil mutandum esse putem, dissentiens cum Wichersio, qui p. 31 dicit: „eadem epistola appellata videtur *οἱ περὶ τῆς Χίας*“ et paulo post *ἐπὶ τοῖς* sic interpretatur: „*ἐν τοῖς συγγράμμασι* vel *ἐν τοῖς λόγοις* vel simile quid *περὶ τῆς Χίας ἐπιστολῆς*, ut commentarius vel scriptio quaedam intelligatur ad Alexandrum de epistola, quam hic ad Chios miserat“ (cf. Athen. XII. p. 339 F: *ἔγραψε δὲ καὶ τότε Ἀλέξανδρος ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσι καὶ πρώτοις Χίοις, ὅπως αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν.*) Neque enim perspicio, quonam modo commentarius ille cum Alexandri epistola cohaereat et praeterea jam recte Muellerus adnotavit, talem sensum in Athenaei verbis inesse vix posse. Ac cum semel atque iterum in Athenaei libris legamus, eum in aliorum auctorum operibus laudandis eadem ratione uti, quam loco, de quo agitur, adhibuit, omnes conjecturas supervacaneas crediderim. Quam sententiam ut confirmem, loco utor ex lib. XIV. p. 637. petito, (v. Ephori fragmenta ap. Muell. n. 159) ubi Athenaeus Ephorum laudat *ἐν τοῖς περὶ εὐρημάτων* et alias: *ἐν τοῖς εὐρήμασι* (lib. IV. p. 182. \*), quae ratio citandi etiam loco supra allato nos vix offendit, cum non tam de epistola, quam ad Alexandrum solum misit, sed de scripto, quod edidit, cogitandum sit. Dedita opera adhuc, quid Pflugkii hac de re senserit, commemorare omisi, cum conjectura Casauboni, *ἐν ταῖς ἀρχαῖκαῖς ἐπιστολαῖς* legendum esse censentis, a viro

\*) Eundem laudandi modum Athenaeum XI. p. 508. C. adhibuisse existimo, ubi pro: *Θεόπομος ὁ Χίος ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς: ἐν τῷ τῆς κατὰ Πλάτωνος διατριβῆς* scribendum censeo.

illo doctissimo comprobata se jungi nequeat a loco quodam, qui exstat apud Dion. Hal. Ep. ad Cn. Pomp. c. 6. p. 782, ubi haec scripta legimus: Θεόπομπος δ' ὁ Χίος, ἐπιφανέστατος πάντων τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν γενόμενος καὶ πολλοὺς μὲν πανηγυρικοὺς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους, ἐπιστολάς δὲ τὰς ἀρχαϊκὰς \*) γραφομένας καὶ ὑποθήκας ἄλλας, λόγου δ' ἄξιαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος ἄξιός ἐστιν ἐπαινεῖσθαι. Quibus in verbis magnas difficultates inesse nemo non videt, cum quam ratione interpretandum sit adjectivum ἀρχαϊκός obscurum videatur, nec melior evadat sententia altera lectione ἀρχαϊκὰς comprobata, quam J. G. Vossius praetulit cogitans de epistolis ad Achivos missis. Hanc lectionem Kruegerus (in Dionysii historiograph. p. 51.) tueri conatus est, quam aliter quidem interpretatur sic dicens: „cum Achaeos optimis legibus usos esse constet (v. Strabo VIII. 7. et Polyb. II. 38.), non improbable videtur, Theopompum Ἀρχαϊκὰς ἐπιστολάς scripsisse eo quidem consilio, ut, quo erat ingenio, alias civitates hoc nomine reprehenderet. Quae quidem conjectura optime convenit cum eo quod Dionysius posteriori loco dicit, Theopompum has epistolas τῷ πνεύματι ἐπιτρέψαντα γεγραφέναι.“ Quae ratiocinatio mihi artificiosior esse videtur, quam ut comprobare possim, nec minus mihi obscurum est, quonam jure Sylburgius ad illum Dionysii locum adnotet, ἀρχαϊκὰς trahi posse „ad famosos libellos ab Anaximene sub Theopompi nomine divulgatos,“ de quibus infra loquemur. Nec non improbo ejusdem in illis verbis interpretandis haesitantis viri doctissimi duplicem adjectivi ἀρχαϊκός interpretationem, quod circumscibit: „antiquo stilo scriptae“ vel: „de prisci saeculi virtutibus“ (\*\*). Ac facere non possum, quin mirer, quod Pflugkius, quamvis alias summa diligentia verum indagare studeat, Sylburgii interpretationem secundo loco prolatam, quam ne usui quidem graecae linguae accommodatam esse censeat, non respuit, etiamsi negare non possit, in fragmentis nihil de virtutibus, multa de quorundam hominum vitiis reperiri. Qua de re quidnam Wichersius judicaverit, licet ex hujus viri libro elici vix possit, cum hisce obscuris verbis utatur (p. 32.): „eandemque epistolam aliasque ad Alexandrum scriptas communi nomine ἐπιστολάς ἀρχαϊκὰς dictas putem“, tamen eum priorem Sylburgii interpretationem („antiquo stilo scriptae“) praetulisse ex hisce verbis elucet: „Fortasse eas attica vetere dialecto, qua haud ita pridem utebantur, conscripsit; id saltem potius crediderim quam Theopompum egisse de prisci aevi virtutibus.“ Itaque quum nulla ex iis, quas attulimus, interpretationibus talis sit, quae probabilitatis speciem prae se ferat, alii viri doctissimi, in verbis

\*) varia lectio: ἀρχαϊκὰς.

\*\*) Valckenaerius locum sanare studuit scribendo: ἐπιστολάς τε τὰς ἀρχαϊκὰς γραφομένας, quam lectionem Ruhkenius (hist. crit. or. gr. p. 163.) accepit.

Dionysii Halicarnassensis errorem abditum latere rati, conjecturis locum sanare studuere. Ac Muellerus quidem suspicatus, hac epistola Theopompum, cum in Theocritum Chium acerbissime inveheretur, de civibus et de magistratibus patriae verba fecisse, lectiones proposuit: *ἐπιστολάς τὰς περὶ τῶν ἀρχῶν Χίων γραφομένας* vel *τὰς „ἀρχαὶ Χίαι“ ἐπιγραφομένας*. (F. H. G. I. p. LXXIII.) Quarum neutram refutarem, nisi violentiores essent ac nisi obstaret alter locus, quo Dionysius iterum hujus epistolae mentionem facit sic scribens: *πολύς γὰρ (ῥεῖ) ἐν τούτοις καὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος οὐδὲ κατὰ μικρὸν διαφέρει, ὡς ἐξ ἄλλων πολλῶν ἂν τις ἴθοι καὶ τῶν ἀρχαίων ἐπιστολῶν* etc. Praeterea tertia accedit causa, quae, quominus illis emendationibus assentiar, prohibet, quod Dionysius de Theopompi scriptis disserens ne unam quidem titulum rerum scriptoris operum affert, sed tantum cujusnam generis ea sint exponit. (*πολλοὺς μὲν πανηγυρικοὺς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικοὺς συνταξάμενος λόγους* et deinde: *ὑποθηκῆς ἄλλας, λόγου δ' ἀξίαν ἱστορίαν πεπραγματευμένος* etc.) Quae quoniam ita sint, adjectivum quaerendum esse ratus, quod ad qualitatem, ut ita dicam, epistolae spectet, in vocabulum *ἀρχικός* incidi, cujus etiam Pflugkio in mentem venisse, ex adnotationibus, quas libello suo adpersit, postea cognovi. (v. p. 64.) Nam cum jam supra demonstravimus, epistolam ad Alexandrum scriptam sub titulo quoque: *αἱ πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαί* vel *συμβουλευτικόν* (cf. Cic. Epist. ad Attic. XH. 40: *συμβουλευτικόν* saepe conor: nihil reperio et quidem mecum habeo et *Ἀριστοτέλους* et *Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον*. Sed quid simile? Illi et quae ipsis honesta essent scribebant et grata Alexandro, laudari, inde concludere licet, Theopompum hoc loco Alexandro praeccepta de imperio bene administrando dedisse, qua in re ei optimam occasionem in inimicos invehendi oblatam fuisse, nemo non videt. Adjectivum *ἀρχικός* significatione, quae loco apud Dionysium desideratur, saepius poni, Hasius (ad Jo. Lyd. de ostent. p. 302.) docuit. Qua conjectura comprobata cum formam participii passivi summovendam esse eluceat, propono *γραφῆς* vel *γεγραφώς*, quod vocabulum aequae pertinet ad *ἐπιστολάς* ac *συνταξάμενος* ad *λόγους* et *πεπραγματευμένος* ad *ἱστορίαν*, erroris inde natum esse ratus, quod propter vocabulum antecedens *συνταξάμενος* participium medii et propter substantivum *ἐπιστολάς* accusativus numeri pluralis in textum irrepserit.

Quaestione de epistola ad Alexandrum missa ad finem perducta, jam apertissime mihi videtur perscrutari, quid judicandum sit de laudationibus et Philippi et Alexandri, quarum mentionem facit Theo (Progymn. H. p. 164: *ἔχομεν δὲ καὶ Θεοπόμπου τὸ Φιλίππου ἐγκώμιον καὶ Ἀλεξάνδρου*) et Suidas, qui non modo laudationem, sed etiam vituperationem Alexandri commemorans sic scribit (sub *Ἐφορος* b.): *καὶ μέντοι καὶ αὐτὸν Ἀλέξανδρον ἐγκωμιάσας πολλὰ λέγεται καὶ ψόγον αὐτοῦ γεγραφεῖναι, ὃς οὐ φέ-*

εται. Wichersius quidem (p. 33.) hasce orationes pertinere arbitratus est ad panegyricas et suasorias, quas multas eum composuisse et ex loco Photii saepius laudato, ubi Theopompus ipse testis affertur, (και ως οὐκ ἂν εἴη αὐτῷ παράλογον ἀντιποιοιμένῳ τῶν πρωτείων οὐκ ἐλαττόνων μὲν ἢ διςμυρίων ἐπῶν τοὺς ἐπιδεικτικούς τῶν λόγων συγγραμμένῳ et nonnullis versibus post: ἐτι δὲ και διότι οὐδεὶς ἐστι τόπος κοινὸς τῶν Ἑλλήνων οὐδὲ πόλις ἀξιόχρεως, εἰς οὗς αὐτὸς οὐκ ἐπιδημῶν και τὰς τῶν λόγων ἐπιδείξεις ποιούμενος οὐχὶ μέγα κλέος και ὑπόμνημα τῆς ἐν λόγοις αὐτοῦ κατέλιπεν ἀρετῆς.) comperimus et a Dionysio Halicarnassensi (ad Cn. Pomp. 6: και πολλοὺς μὲν πανηγυρικούς, πολλοὺς δὲ συμβουλευτικούς συνταξάμενος λόγους etc.) docemur, Pflugkius autem (p. 44.), utrum eae partem Philippicorum effecerint an orationibus auctoris adnumerandae sint dubitat. Quamvis hac de re haud facile sit dijudicatu, cum unum idque brevissimum ex laudatione Philippi supersit fragmentum (ap. Theon. Propygn. c. 8. p. 123. ap. Muell. fr. 285.), ex Alexandri nihil ad nostram aetatem pervenerit, tamen, cum alio quodam loco traditum sit, Theopompum in Philippicorum initio Philippum summis laudibus praedicasse (Polyb. VIII. 11: Μάλιστα δ' ἂν τις ἐπιτιμήσειε περὶ τοῦτο τὸ μέρος Θεοπόμπῳ ὅς γ' ἐν ἀρχῇ τῆς περὶ Φιλίππου συντάξεως διὰ τοῦτο μάλιστα παρορμηθῆναι φήσας πρὸς τὴν ἐπιβολὴν τῆς πραγματείας διὰ τὸ μηδέποτε τὴν Εὐρώπην ἐνηνοχῆναι τοιοῦτον ἄνδρα τὸ παράπαν οἷον τὸν Διόντιον Φίλιππον. Muell. fr. 27. cf. Curtius griech. Gesch. III. p. 518.) potius negaverim, rerum scriptorem separatim de Macedonum regis virtutibus egisse, quemadmodum vult Riese in dissertatione jam supra laudata, qui (p. 679.) fragmentum ex Theone citatum ad illam orationem referendum censet. Quanam autem ratione laudationem Alexandri, quem in Philippicis vix attingit (cf. fragm. 334.), operi suo intexuerit, cum haud perspicatur, statuendum est, eum magnitudinem regis, a quo ipse summis beneficiis affectus erat, oratione praedicasse, nisi forte conjectura placet, quam ex loco Ciceroniano (epist. ad Attic. XII. 40.) eruo, ubi orator, postquam συμβουλευτικὸν εἰς Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον commemoravit, verba addit haecce: illi et quae ipsis honesta essent scribebant et grata Alexandro. Quid enim? Nonne ex hoc loco probabiliter colligi potest, Theopompum, quem hasce litteras, cum in patriam rediisset, ad Alexandrum scripsisse jam supra docuimus, hac occasione oblata multa, quibus Macedonum regem tamquam suum patronum summis laudibus efferret, adjecisse? Quam opinionem confirmare mihi videtur locus ex Suida supra allatus, quo hic, postquam de epistola ad Alexandrum missa dixit (ἐπέστειλλέ τε πολλὰ κατὰ Χίων Ἀλεξάνδρῳ), sic pergit: και μέντοι και αὐτὸν Ἀλέξανδρον ἐγκωμιάσας πολλὰ λέγεται etc.

Eundem autem scriptorem viro, cui gratiam debebat maximam, postea altera

oratione obtrectasse et maledixisse, equidem persuadere mihi non possum. Nec me, ut illud credam, opinio A. Riesii commovere potest, qui (p. 680.) adnotat: Auch ist die Möglichkeit offen zu halten, daß *Ἀλεξάνδρου ψόγος* eine inhaltlose rhetorische Uebung war, cum probabilitati maxime repugnet sententia, Theopompum, qui iis temporibus, quibus Alexander totum orbem terrarum sui nominis gloria implebat, jam aetate provectus erat, talibus exercitationibus, juvenili soli aetati aptis, operam dedisse. Potius crediderim ab homine quodam malevolo atque inimico illud scriptum, dummodo Suidae testimonio credi possit, sub Theopompi nomine foras emissum esse.

Quae suspicio eo augetur, quod ab Anaximene Aristoclis filio (cf. Suid. s. v. *Ἀναξιμένης*) aliud opusculum sub Theopompi nomine editum esse a Pausania comperimus, qui hac de re disertis verbis dicit (lib. VI. c. 18.): *ὡς δὲ οἱ* (sc. *Ἀναξιμένει*) *διαφορὰ ἐς Θεόπομπον ἐγεγόνει τὸν Λαμασιστράτου, γράφει βιβλίον ἐς Ἀθηναίους καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίους ὁμοῦ καὶ Θηβαίους, συγγραφὴν λοιδόρον, ὡς δὲ ἦν ἐς τὸ ἀκριβέστατον αὐτῷ μεμιμημένα, ἐπιγράφας τοῦ Θεοπόμπου τὸ ὄνομα τῷ βιβλίῳ, διέπεμπεν εἰς τὰς πόλεις, καὶ αὐτὸς τε συγγραφεὺς ἦν καὶ τὸ ἐχθρὸς τὸ εἰς Θεόπομπον ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα ἐπηύξατο.* Quam enarrationem ad eum librum solum, qui *τριπολιτικός* (cf. Jos. contra Apion. T. II. p. 459: *ὁ δὲ τὸν τριπολιτικὸν γράφας — οὐ γὰρ δὴ Θεόπομπός ἐστιν ὡς τινες οἴονται* etc.) sive *τρικάρανος* inscriptus fuit, respicere posse, ex loco quodam, qui exstat apud Lucianum (Pseudol. 29. tom. III. p. 185. Reitz.) ita elucet, ut mirer, qui fieri potuerit, ut Fabricius (Bibl. gr. II. p. 503.) et eum secutus Gessnerus (ad Lucian. T. III. p. 383.) hunc librum in deperditarum Theopompi Atheniensis\*) comoediarum numero referrent et C. O. Muellerus (Orchomen. p. 107.) eum Theopompo non abjudicaret\*\*).

Ea quae narrat Pausanias quo melius intelligantur, satius erit verba ipsa Luciani afferre: *τίς οὕτως ἐν λόγοις μεγαλότολμος, ὡς ἐπὶ μὲν τοὺς τρεῖς μοιχοὺς ἀντιξίφους τρίαῖναν αἰτεῖν; τὸν δὲ Θεόπομπον ἐπὶ τῷ Τρικάρανῳ κρίνοντα* (sc. Timarchum Antiochenum) *φάναι, τριγλῶνιχι λόγῳ καθηρηκέναι αὐτὸν τὰς προϋκούσας πόλεις καὶ πάλιν, ἐκτριαυνῶσαι αὐτὸν τὴν Ἑλλάδα καὶ εἶναι Κέρβερον ἐν τοῖς λόγοις;* Explicationem Gessneri mirabilem, qui, spectans ad Theopompi fragmentum ex Stephano Byzantio (ap. Muell. n. 267.) petiit, de castello terrae Phlasiacae cogitat et Theopompum „illo libro actionem aliquam suam commemorasse videri, qua de Tricarno judicaverit“ (?) ratus est, Pflugk (p. 44.) tam gravibus argumentis refellit, ut hac

\*) de quo v. *Fragm. comic.* ed. A. Meineke. tom. II.

\*\*\*) postea vir doctissimus illud opus esse subditicium concessit. *Ephem. Gotting.* 1825 p. 371.

de re verba facere supersedeam, praesertim cum ex altera Gessneri sententia, cujus supra mentionem fecimus, eluceat, eum illum locum satis accurate omnino non perpenderit. Nec repugno Pflugkii opinioni, qui utrumque titulum *τριπολιτικός* et *τρικάρανος* ad eundem librum referendum censuit, cum locus, qui in Josephi libris exhibetur, omnem in hac re dubitationem tollere mihi videatur. Quae enim illae *προϋχοῦσαι πόλεις*, de quibus Lucianus disserit, sint, ex Josephi verbis discimus, qui talia nobis refert: *καὶ γὰρ ἔθνων τινες καὶ τῶν ἐνδοξοτάτων πόλεων ῥυπαίνειν τὴν εὐγένειαν καὶ τὰς πολιτείας ἐπεχείρησαν λοιδορεῖν, Θεόπομπος μὲν τὴν Ἀθηναίων* (cf. fragm. ap. Muell. n. 183. 238. 417. 297.) *τὴν δὲ Λακεδαιμονίων Πολυκράτης, ὁ δὲ τὸν τριπολιτικὸν γράψας* (οὐ γὰρ δὴ Θεόπομπος ἐστὶν ὡς τινες οἴονται) *καὶ τὴν Θηβαίων πόλιν διέβαλεν.* Atque recte Riese (p. 683. 47. \*) adnotasse mihi videtur, verum libelli titulum *τρικάρανος* esse, cum hic, excepto loco ex Josepho laudato, semper afferatur (cf. Lucian. fugit. §. 32. Suid. s. v. *Φιλίστος*. Aristid. tom. I. p. 338. ed. Dindorf.) et inde, quod Varro saturam eadem ratione „tricipitinum“ inscripserit, colligi possit. Difficile autem erit dijudicatu, num Anaximenes, ut vult Muellerus (F. H. G. I. p. LXXIV.) convicia trium praeclarissimarum Graeciae urbium ex ipsis Theopompi operibus hauserit.

Duo reliqua Theopompi scripta quam paucissimis absolvisse satis habeo, quum de altero, quod inscriptum fuit: *κατὰ Πλάτωνος διατριβή* quidquam certi statui vix possit ac dubium sit, num digressio fuerit in Philippicis, ut Muellerus censet (F. H. G. I. p. LXXIII.), necne. De altero autem, quod sub titulo *περὶ εὐσεβείας* laudatur, jam rectam protulit sententiam Ruhnkenius (hist. crit. gr. or. p. 374.), qui nomen Theopompi a scholiasta ad Aristoph. aves iv. 1354., uti alias (Plut. Agesil. c. 36. Athen. XV. p. 676. IV. p. 144 F.) cum Theophrasti, quem librum de pietate scripsisse Diogenes Laertius (V. p. 126.) testis est, permutatum esse, persuasum habet. Quae sententia eo magis mihi probatur, quod locus quidam ex Porphyrii libro (de abstinentia II. 16. p. 127. ed. Rhoer.) laudatus (ap. Muell. n. 283.), qui ad illud Theopompo adscriptum opusculum pertinere et Ruhnkenii opinioni repugnare videbatur, ad librum vicesimum sextum Philippicorum referendum esse, Bernays, vir doctissimus, (Rh. Museum für Philologie XXI. p. 300.) luculentissime ex mea quidem sententia docuit.

Haec habui quae de vita scriptisque Theopompi dicerem. Spero fore, ut in posterum occasio me non deficiat indagandi, quibusnam posterioris aetatis auctoribus ejus opera materiam praebuerint, quo melius, qualis et ipse qualesque ejus libri fuerint, perspiciatur.

\*) *τρικάρανος* ist der überall angeführte und auch in Varros Nachahmung erkennbare richtige Titel, die Bezeichnung *τριπολιτικός* bei Josephus ist theils durch ihren Inhalt, die Schmähung dreier Städte, theils durch die unklare Erinnerung an die gleichnamige, aber ganz andersartige Schrift des Dicaearch veranlaßt.